

DE LOCIS

QUI SUNT AUT HABENTUR CORRUPTI

IN CATULLI CARMINIBUS.

DE LOCIS

QUI SUNT AUT HABENTUR CORRUPTI

IN CATULLI CARMINIBUS

SCRIPSIT

Giacomo
~~IACOBUS~~ GIRI

Volumen I.

AUGUSTAE TAURINORUM
APUD HERMANNUM LOESCHERUM
MDCCCXCIV.



Panormi ex officina V. et S. Vena fratrum.

PRAEFATIO.

Quoniam Catulli codices, qui quidem exstent, falsum est, ut iam alii demonstrarunt (cf. Bonnet. Rev. critique d'Hist. et de Litt. 1877, p. 56 ss., Sydow. de recensendis Catulli carminibus MDCCCLXXXI , B. Schmidt. Jenaer Litz. 1878, p. 207 ss. et Edit. Mai. Catull. a. MDCCCLXXXVII), omnes, si Canonicianum numero 30 insignitum excipiamus, qui in Bibliotheca Bodleiana apud Oxonienses adservatur, ex Parisino (14137), qui fuit iam «Sangermanensis» (1165), tamquam e communi quodam fonte fluxisse; iure optimo statuitur non hunc (= G) et illum (= O) modo, sed ceteros etiam libros, certe eos qui in bonorum numero sint, diligenter esse explorandos. Qui eo magis explorandi videntur, quod variae lectiones, quas vocant, quae in eo codice fuerunt, ex quo tam multa libelli Catulliani exempla quodammodo manarunt, quam multa viris doctis nota sunt (eundem et Veronensem nominaverunt et V littera distinxerunt), nec in G nec in O, ut patet cum ex aliis libris, in primis e Bononiensi, qui notatus est numero 2621 (= B), et e Veneto, qui notatus est numero 107 (=M), tum ex ipsis G et O inter se collatis, omnes inveniuntur. C. Schulzius nuper, cum iam in O examinando operam

curamque posuisset (zum codex Oxoniensis des Catullus, Hermes XIII [1878], p. 50 ss.), M callide et sollerter est perscrutatus (der codex M des Catullus, Hermes XXIII [1888], p. 567 ss.); mihi placuit in quinque aut potius quattuor libros inquirere, quorum unus est in Bibliotheca publica huius urbis, reliqui in Bibliotheca Regia Neapolitana (1).

Libri Neapolitani sunt his litteris et numeris deinceps distincti: IV F 19 (= N^1), IV F 21 (= N^2), IV F 61 (= N^3), IV F 63 (= N^4). De primo et secundo pauca exposuit C. Iannellius (Cat. Bibl. Lat. manuscriptae, quae in R. Neap. Mus. Borbonico adservatur MDCCCXXVII), de utroque et tertio C. Nigra (La Chioma di Berenice 1891, p. 169). Quartus vix est commemorandus, cum librarius post c. LIV nihil descripserit et post c. XXIV viginti carmina omiserit. Hi libri sunt chartacei praeter N^4, qui est membranaceus: omnes pertinent ad saeculum, quod dicunt, XV.

N^1, altus $0{,}288^m$ latus 0, 198 paginarum 336, post Catulli carmina, quorum postremum in pagina 69 scriptum est, habet Gallesii elegias sex, Tibullum et Propertium, epistulam Sapphus ad Phaonem, elegiam, quae Lactantio tribuitur, de phoenice ave, Caecilii Cypriani versus qui sunt de ligno crucis, A. Panormitae Hermaphroditum, praeterea alia cum eiusdem Panormitae tum alio-

(1) M nuper editum voluit C. Nigra, qui, si quid habet otii, ad ingenua studia atque artes potissimum confert. Haec autem quasi quoddam prooemium in prima libri pagina scripsit: " HOC CATULLI MANUSCRIPTUM AETATE AC LECTIONE CONSPICUUM, IN MARCIANA BIBLIOTHECA (COD. LAT. LXXX CLASSIS XII) ADSERVATUM, HELIOTYPICA ARTE TRIGINTA EXEMPLIS NUMERO SIGNATIS EXPRIMENDUM CURAVIT, ADSISTENTE CAROLO CASTELLANI EIUSDEM BIBLIOTHECAE PRAEFECTO, ATQUE ERUDITIS VIRIS VERONENSIS POETAE BENEMERENTIBUS DEDICAT OFFERT CONSTANTINUS NIGRA ". Cui quidem gratiam habeo maximam, qui unum ex his exemplis mihi benigne ac liberaliter commodaverit.

rum (1). N², altus 0,218ᵐ, latus 0,140ᵐ, paginarum 248, habet Catullum et Propertium; N³, altus 0,200ᵐ, latus 0,125ᵐ, paginarum 116 — si paucos Ausonii versiculos, brevem quandam inscriptionem, quattuor disticha in Narsetem neglegere licet — unum Catullum.

Librum Bibliothecae Panormitanae (Qq E 10), quem P littera distinguo, quantum scio, docti nondum noverunt (2). Est chartaceus saeculi XV, altus 0,213ᵐ, latus 0,145ᵐ, paginarum 196. Habet Catullum et Tibullum. Huius elegiae sunt in paginis 1-89: nisi quod librarius duas paginas (59-60) inter secundam elegiam

(1) Horum carminum indices, qui saepe nihil indicant, transcribendos duxi, quo melius, quam verbis meis, qualis esset hic codex, de quo mihi erit paulo post disputandum, declararetur:

" Petri grassi siculi ad Bartholam Senensam nympham. Antonius Panormita. Epithalamium Baptiste, studentis iuvenis. Antonio Panormite creduntur. Magister. P. colomines cecus. Quare gesta senatus ac bella scribere nolit. Anthonii Panormite elegia ad Lamolam. Oda Mater Francisci pontani ad Panormitam. Francisci Pontani conquestus apud Antonium Panor. de largissis Cereris et bacchi muneribus ac Veneris spurciis. Antonio Panormite centona et est responsio ad Satyram Magistri Francisci. Antonius Panormita. Idem Antonius Panormita Magister petrus Lucianus columines ad v. clarm Mat Mal. Franciscus philerphus (sic) ad thomam tebaldum equitem. Idem ad Mathaeum Mal. Cervus Donatus summo pont pro franc de fiano. Idem ad Messanam. Idem loquitur de morte et queritur. Collutius de signano ad Iohannem bocatium. Franciscus petrarcha florentinus ad beatam Mariam magdalenam. Alia oratio christo dedicata. de quodam clerico et uxore militis cuiusdam. Versus cuiusdam ad elegiam nympham. Oratio Magistri. Ad Alfonsum Regem. Ferdinandus Valentinus. Idem ferdinandus Valentinus. Idem Ferdinandus Valentinus. Versus auctoris. Gregorius Tifernius Inquit. Gregorius Tiphernius. Idem Gregorius Tiphernius. Porcellius Vates Ad Malferitum. Dantes poete. Antonius Panormita coniugi. Idem Antonius Panormita. Idem Antonius Panormita pro homonea supradicta. Idem Antonius Panormita. Idem Antonius Panormita. Lucius de Sapho Lesbia. Hylas Pratensis. Publius Vergerius. Antonius Luscus pro carulo. per Thomam Strozam. Versus auctoris. Ariminius. Antonius Panormita. Mallii Severini boetii uxoris epythaphium ".

(2) " In Bibliotheca publica huius urbis hunc esse librum me monuit Vincentius Di Giovanni, vir doctissimus.

et tertiam libri II interiectas non scripsit. Pagina 89 habet etiam epigramma illud D. Marsi (*Te quoque Vergilio comitem non aequa, Tibulle*) et pauca de Tibulli vita: p. 90 distichon quoddam, cui haec verba rubris conscripta litteris praeposita sunt: *Tibulli elegiarum decoris epitaphion.* Ad Catulli carmina, ad quae in extremo libro additi sunt B. Campesani versiculi (*Ad patriam venio*), pertinent paginae 91-191. In pagina 192 est locus quidam Ovidianus (Trist. IV 9, 41-54), in pagina 193 et 194 ea Ae. S. Piccolomini elegia, quae sic incipit: *Turcha paras alte subvertere moenia Rome* (cf. Ae. S. Piccolomini Senensis, qui postea fuit Pius II, Pont. Max. opera inedita. Descripsit ex codd. Chis. vulgavit notisque illustravit Ios. Cugnoni, Atti della R. Acc. dei Lincei 1882-83, p. 368). Hic subscriptum est nomen librarii hoc modo: *per me Johannem Asper alias Scharp.* Nihil scripti in pagina 195 et 196. Carminibus et elegiis saepe praepositi sunt indices litteris grandibus et rubris. Modo rubro, modo caeruleo colore est prima littera singulorum carminum et elegiarum. In prima pagina picta sunt, praeter alia, quaedam imago et insigne quoddam gentilicium.

Codices, quos commemoravi, omnes sunt perturbati et, excepto N^2, ob idem vitium. Etenim in hoc libro talis est ordo carminum: I — X 23, XIII 2 — XXI 11, X 24 — XIII 1, XXIX 8 — XXXII 10, XXI 12 — XXIX 7, XXXII 11—CXVI; in ceteris c. XXXXIV 21—LXII aut post XXIV 10, ut in N^3, scripta sunt (non alium ordinem repperi in N^4, quem ab hac disputatione removi), aut, ut in N^1 et P, post XXIV 2. Unde patet N^3 congruere cum Parisino, qui distinctus est n. 8233 (=Pa), Laurentiano plut. 33 n. 13 (=L^1), Vaticano, qui distinctus est n. 1630 (= Va); N^1 et P cum B et Phillippensi, qui distinctus est n. 9591 (=Ph). Hos tamen codices uno omnes e fonte fluxisse nemo infitiabitur. Illud au-

tem animadvertere volo, N[1] post carmen LXII habere c. XXIV 3, ceteros (eos quoque in quibus c. XXXXIV 21 — LXII sunt post XXIV 2, non post XXIV 10) c. XXV. Sed quid acciderit, facillime perspicitur. Liber ille, ad quem, tamquam ad communem fontem, omnes libri, de quibus mentionem feci, redigendi sunt, ut nunc est N[1], ita olim fuit perturbatus: postea nescio quis doctus homo aut librarius intellexit, profecto quia bono aliquo codice usus est, versiculos 3-10 carminis XXIV male esse post c. LXII collocatos: quamobrem iidem et deleti sunt hic et suo loco post c. XXIV 2 in margine adscripti. Tum illud evenit, quod evenire solet cum aliquid in codicum marginibus adiectum est: alii librarii eos versiculos receperunt, alii non receperunt, illi c. XXXXIV 21-LXII post. c. XXIV 10 (N[3] Pa L[1] Va) scripserunt, hi, senis versibus omissis, post c. XXIV 2 (B P Ph).

Sed quoniam, si Ellisium audimus (Edit. a. MDCCCLXXVIII p. LII), « illud etiam proprium est Bononiensis, quod c. XXXIV 15-XXXV 14 bis habet scriptum (sed bis habet etiam XXXV 15-XXXVI 7) in loco suo et... in pagina prima », mihi demonstrandum censeo, non sequi, ut alia, ac docui, sit huius origo. Si c. XXXIV 15 — XXXVI 7, quae ante primum carmen scripta sunt, in ea charta essent, quae ab initio ad codicem pertinuisset, nescio quibus coniecturis patere aditus posset. Sed chartae, duae enim numerantur, tum ad codicem adiunctae sunt cum eius paginae iam erant plenae; ut duae chartae sunt adiunctae ad extremum libellum, quamquam post priorem paginam chartae septimae (codex e quinque constat libellis denum chartarum) scripti nihil invenitur. Perspicuum igitur est librarium, codicis custodiendi causa, iis quoque chartis uti voluisse, quas in scribendo repudiasset. Quod nemini dubium erit, qui consideraverit, non modo primam chartam quos dixi versiculos habere, sed in secundam (aut tertiam pa-

ginam) prooemium relatum esse Ciceronis librorum qui sunt *de Officiis*, ab initio: *Quamquam te, Marce fili*, ad haec verba: *orationes meas, sed hos etiam.* Haec autem, ut iudico, chartarum repudiandarum causa fuit, quod librarius, qui ad codicem inscriptionibus exornandum usus esset colore rubro, cum ad c. XXXV venisset, virides litteras, id quod, eluta charta, tamen cernitur, per neglegentiam fecit. Nec vero puto, qua charta Ciceronis prooemium contineretur, eam per errorem ad Catulli carmina describenda esse adhibitam. Librarius enim, qui a pagina prima ad alteram transisset, quoniam illud prooemium aut prooemii pars in tertia est, errorem suum perspexisset et destitisset scribere. Sed etiam in pagina secunda, ut dixi, nonnulli sunt Catulli versiculi. Magis veri simile est librarium, ut Ciceronis prooemium describeret, eas chartas neglegenter arripuisse, quas ex Catulliano libro demovisset. Utcumque est, nam alia conici possunt, hoc intellegi volo, codicem B non, si c. XXXIV 15-XXXVI 7 bis habet, ideo a libris, quorum ordo post versiculum 2 aut 10 carminis XXIV perversus est, distingui ac separari debere.

Si B, id quod multi verissime defenderunt, neque ex G neque ex O exscriptus est, sed e tertio quodam exemplo illius codicis Veronensis, quem, sic enim volunt docti homines fere omnes, anno DCCCCLXV post C. n. (cf. A. Vogel Rather. v. Verona, vol. 1. p. 317 ss. et II p. 87 ss.), legit et pervolutavit Ratherius episcopus (1), sequitur ut ad hoc tertium exemplum eos quoque libros referendos esse credamus, quos cum

(1) Cum aliquid mihi dubitationis habere videatur id quod de hoc libro viri docti statuerunt, iam nunc enuntio, me, cum V laudem, eum codicem laudare velle, Veronensis appellandus sit necne nihil refert, qui omnium Catullianorum codicum, qui exstent, fons fuerit et caput.

B consentire perspeximus. Quanta autem sit unius cuiusque auctoritas nihil negotii est constituere. B, ut ex iis elucet, quae postrema scripta sunt (*Finivi anno II Pontificatus Iohannis XXIII VIII kl. aprilis. Rivoalti hieronimus Donatus patricius*), exaratus est anno MCCCCXII. N[3] et P aetate esse posteriores multis indiciis apparet. Quin etiam haec sunt in P ante Pii II elegiam: *Pii pape secundi 1459*; qui annus non is est, quo codicem I. Asper descripsit. Accedit quod variae lectiones, quae sunt in B, nec in N[3] nec in P sunt. Sed P, qui cum B maxime consentit, ibi utilis esse potest, ubi huius litteris et verbis vel corrigendo vel delendo illata est vis. Quam ad rem praetereundum non est maiore esse adiumento codices L[1] et Va, qui sunt antiquiores.

Etiam N[1] est aetate posterior. Quod cernitur cum aliis rebus tum nonnullis poematis, quae in eo reperiuntur. Nec enim suspicari licet libellos, qui Catulli carmina complexi sunt, antea separatim descriptos, ad codicis N[1] libellos postea esse adnexos. Non modo nullam usquam videmus in litterarum formis dissimilitudinem; sed eadem charta (35) in altera pagina ultimos habet Catulli versus, in altera elegiam primam Gallesii. Etiam N[1] omni caret varietate lectionum: nam quod is qui codicem exaravit, si quod verbum omisit aut male est interpretatus, hoc in margine scripsit, id quod perraro accidit, ne considerari quidem debet. Vitia practerea sunt in hoc libro digna quae commemorentur. Manus quaedam recentior usque ad chartam 18, in qua est carmen LXII, ut in marginibus versus aliquot adiecit, qui omissi essent (eos quoque versus adiecit, qui ex perturbato ordine male collocati sunt), sic pristinis litteris aut emendando aut delendo saepe nocuit. Qui autem desiderantur versus, si non eos solum excipimus qui desunt in G (CII 3-4) — nam de illis dicere, quos nulli

habent libri, inutile puto —, sed eos etiam qui frustra in B requiruntur (III 4, XXXIX 3, LXI 50, 156-160, LXIV 334-337, LXVI 24-25, LXXXII 3-4, etsi B LXI 192 caret, quo N[1] non caret), hi plane sunt: XVII 12, XXVIII 13, XXXXII 2, 11, XXXXV, 10-18, LXI 40, LXII 43-44, 54-55, LXIV 316, LXVIII 50, LXXVI 14, 16. Nihil dico de versiculis, quos nullo in libro recte collocatos invenimus: sed in N[1] post v. 342 carminis LXIV insertus est v. 372, qui suo loco non deest (LXVII 21 post LXIV 386 et LXVIII 17 post LXVIII 49 is qui V scripsit inseruerat); unus est versus conflatus ex priore parte versiculi 2 et posteriore v. 3 carminis CVII. Non solum additus est ante v. 48 carminis LXVIII versus ille: *Omnibus inque locis celebretur fama sepulti*, quem habent ut nonnulli codices interpolati, in his tres Parisini (= 7990, 8232, 8236) et Datanus in margine, ita complures editiones, in his ea quae princeps appellatur; verum etiam inter carmina XVI et XVII interposita sunt, tamquam ad Catullum pertinentia, duo epigrammata F. Bibaculi, ea quae is de Valerio Catone Grammatico scripsit et Suetonius in libellum, qui est de Grammaticis et Rhetoribus (De Gramm. c. 11), recepit; quorum alterum ita incipit: *Si quis forte mei domum Catonis*, alterum ita: *Catonis modo, Galle, Tusculanum.* Postremo praeter perturbationem, quam supra dixi (p. 8), quae omnibus eiusdem generis libris communis est, sic in N[1] se habet carminis LXI ordo versiculorum: 1-28, 94-215, 29-93, 216-235. Cuius vitii culpam non in eum conferendam esse qui N[1] descripsit, ex ipso N[1] intellegitur. Peccatum aut in eo codice fuit ex quo exscriptus est hic (= X), aut in illo antiquiore, ex quo ii libri exscripti sunt, in quibus post c. XXIV inversus est paginarum ordo; quem ut tertium codicis V exemplum fuisse iudico, ita hac nota: « A[3] » (=apographon

3) iam distinguo. Quominus etiam carminis LXI perturbationem in hoc fuisse credamus, nulla res impedit. Utriusque enim eadem est natura, si motae sunt loco post v. 2 carminis XXIV complures chartae, una post v. 28 c. LXI. Nam quid est magis consentaneum, quam unam chartam vel duas paginas cogitatione fingere, si a versiculo 29 ad 93 (demptis 79 et 80, 84 et 85, qui nullo in codice reperiuntur, 50, qui in B quoque deest) versiculi sunt sexaginta? Nec illud obiciendum puto, in N[1], ut in omnibus codicibus, versus 58, 59, 60 ita esse scriptos, ut duo non tres numerari debeant. Etenim in altera pagina versiculos fuisse undetreginta, in altera vero triginta, aut aliud quippiam suspicari licebit, sed non erit minus veri simile post v. 28 duas paginas de libro excidisse et post v. 215 esse agglutinatas (1).

(1) Si paginae, in quibus versus XXIV 3 - XXXXIV 20 fuerunt, tricenos item habuissent versiculos, carminis LXI perturbationem in ipso A[3] esse factam, ut nunc credibile est, tum posset etiam demonstrari. Sed quam facile est conicere quinque chartas vel decem paginas post XXIV 2 ex suo in alienum locum translatas esse, tam difficile est iudicare, quot ex versiculis singulae paginae constiterint. Etenim a XXIV 3 ad XXXXIV 20 sunt versus ducenti nonaginta sex: detractis XVII 12, XXVIII 13, XXXIX 3, XXXXII 2, 11, qui in N[1] desiderantur, versus restant ducenti nonaginta unus. Decem igitur paginae munerari possunt undetricenum fere versiculorum. Sed quos deduximus versus, omnesne sunt deducendi? Deducere quidem possum XXXIX 3, quem ne in B quidem reperio: reliqui qui desunt in N[1], nihil obstat, quominus fuerint in A[3], quamquam non certum est, sed verisimile hunc librum quot versus habet B, tot habuisse ab initio. Praeterea N[1] in XXIV 3-XXXXIV 20 quattuordecim habet intervalla carminum. Quattuordecimne versus ob hanc causam addemus? At non modo decem paginae fiunt tricenum versiculorum, sed reliqui sunt quinque versiculi. Quid ergo statuendum? modone fuisse intervalla, modo nescio quae dicam intervallorum signa? Ac fieri etiam potuit, ut aliquot versiculi reperirentur non conscripti suo loco, sed in marginibus adscripti.

Qualis sit N^1 exposui. Si quid nunc addere volumus, hoc dicam, alia scripturae menda ad ea, quibus antiquiores Catulli codices inquinati sunt, accessisse. Huic tamen libro non quidem plurimum, sed aliquid esse tribuendum adfirmare non dubito. Si ipse post B, ante B natus est X. Quod iam ex iis intellegitur, quae supra dixi (p. 9) de versiculis 3-10 carminis XXIV, qui in aliis codicibus sunt, in aliis sunt. Etenim si ideo hos non invenimus in B, quod libri, ex quo huius originem repetimus, qui liber fuit A^3, perturbato ordini prospectum est, quis non videt, cum iidem in N^1 non desint, X descriptum esse antequam illi perturbato ordini esset prospectum? Nam si quis putet, versus 3-10 carminis XXIV idcirco in N^1 non desiderari, quod altero collato libro recepti sint, vehementer is errat. Si ita res se haberet, non post c. LXII, sed, in ordinem adducti, post v. 2 carminis XXIV reperirentur.

Sed etiam inscriptiones carminum atque intervalla perpendere oportet. N^1 post c. LXI habet intervalla, ante vero inscriptiones et tum fere cum habet B. Quas duae manus apposuerunt, altera antiquior, altera recentior: illa easdem quae sunt in B, haec (versus qui aut omissi essent aut non bene collocati, ipsa in marginibus adiecit) non easdem. Antiquior autem manus alia est atque illius qui codicem exaravit. Haec inter carmina intervalla reliquit, inscriptiones non addidit, profecto, ut ego equidem arbitror, quod eae in X non essent. Aliter addidisset, si quidem praeposuit carminibus, quae sequuntur, ceterorum poetarum (1). Quin violaceis litteris, ut eas adderet, usa

(1) Excipiendae sunt Propertii elegiae, quarum iam inde a decima septima libri primi nulla reperitur inscriptio. Hic etiam facile cre-

esset, hoc enim colore non sunt modo reliquae inscriptiones, sed illa ipsa quae ad universum pertinet Catullianum libellum.

Atque exsistit hoc loco quaedam quaestio, quem ad codicem referendae sint inscriptiones, quas in B videmus. Si quot sunt in B intervalla carminum, totidem essent in G, quoniam inscriptiones plane eaedem sunt, illud cogitari posset, codicis B inscriptiones ex G esse sumptas. Sed has B semper habet in spatiis de industria relictis, G non raro in marginibus nullo inter carmina intercedente intervallo. Ergo qui B descripsit de adiciendis inscriptionibus cogitavit, qui G non item. Ex quo licet inferre non eas in B e G, sed in G e B aut ex alio eiusdem generis fonte fluxisse (1). Quae

dimus, librarium quae in suo codice invenisset descripsisse, non tam quod, ut ante primum librum, sic post secundum tertium quartum inscriptionem apposuit, quam quod haec ante elegiam secundam deest, cum non desit spatium.

(1) Quae de hac re loquor operae pretium est cum iis conferre. quae de indicibus in G adscriptis docuit Bonnetus. " Impossible de reprendre ici toute cette question si controversée des titres des poëmes (*ad Cornelium*, *ad Lesbiam* etc.) Mais il y a un argument considérable en faveur de l'opinion d'après laquelle V n'avait pas les titres, dans ce fait, resté inaperçu jusqu' ici que ces titres, dans G, ne sont pas tous de la même main. Est-il croyable, si l'auteur de G avait eu devant lui, dans V, les titres tels que nous les possédons aujourd' hui, qu' il se fût arrêté après *Catulli V. l. incipit*, qu' il eût ensuite écrit encore 4 *De Phasello* 5 *De Lesbia* 6 *Ad... um* (?) — plus un seul titre après, ni même l'espace nécessaire pour les placer; et qu'un autre fût venu ensuite, le même ms. original à la main, ajouter *ad Cornelium*, changer *De Lesbia* en *Ad Lesbiam*, *Ad... um* en *Ad Flavium*, et mettre tous les autres titres dans les interstices ou à la marge? D'un autre côté, G² (le correcteur dont nous parlons) n' a certainement pas inventé les titres d' après le texte de G; car d'où lui serait venue l' idée d'écrire 32 *Ad Ipsicillam* (*O Ipsi illa*) au lieu de *Ipsithilam* (G 32, 1)? Il faut donc croire que G² a tiré les titres, de même que ses meilleures

res hoc confirmatur, quod inter c. XVI et c. XVII G, ut O, nullam inscriptionem habet, nullum intervallum; B, sicut multi alii libri, utrumque. Si inscriptiones, quae sunt in B, ad G essent referendae, illius quae ad c. XVII pertinet, nulla quidem reddi posset ratio: quae redditur sine ullo labore. Omnes enim facile concedent, eum qui sero in G carmina inscriptionibus distinxit, nihil per neglegentiam aut supra c. XVII aut ad eius marginem adiecisse. Amoto autem G, quem librum in medium proferam, prorsus non video. Ambrosianus, qui notatus est M littera et numero 38, ut hunc antiquissimum codicem memorem, aliqua ex parte a B inscriptionibus differt non raro. Si praeterea inscriptiones, quibus ornatus est B, ex aliquo non perturbato codice sumptae essent (omnino enim perturbatos codices omittere debemus), quomodo is qui illas sumpsit non animadvertisset (quem animadvertisse non apparet) in eodem B multa carmina collocata esse alieno loco? Sed hoc maximum est, quod tum in B adiciebantur inscriptiones, cum ipse scribebatur. Quae res perspicitur, si non ex alio, ex illis duabus chartis, quae ad primum codicis sunt libellum adnexae. In secunda enim pagina prior tantummodo pars est carminis XXXVI: huic tamen, ut carmini XXXV, iam ab initio fuit (oblitterata nunc est) inscriptio praeposita.

Ex iis quae disputavi illud efficitur, A^3 inscriptionibus ipsum fuisse praeditum. Qua in re duo conici possunt: aut hunc librum illas habuisse ab initio, sed ab eo, qui X scripsit, neglectas esse, aut non ab initio, sed aliquanto post, certe ante quam B esset

leçons, et probablement aussi une partie de ses mauvaises conjectures, D'UNE AUTRE COPIE DE V DEJÀ ELLE-MÊME ASSEZ INTERPOLÉE, mais qui avait conservé quelques leçons authentiques négligées par G, ou par G et O „ (Revue critique, 1877 p. 61-62).

natus. Neglectas esse ab eo qui X descripsit, multum abest ut credam. Quo in codice, si iustam ex ipso N¹ facimus coniecturam, ibi fuerunt carminum intervalla, ubi sunt in B; quin etiam, nisi a suo exemplo N¹ discessit, fuerunt inter LVII et LVIII, LXVI et LXVII, LXXIII, et LXXIV, ubi in B non sunt. Sed cur fuerunt spatia, defuerunt inscriptiones? Ob eam rem, ut opinor, quod is, qui in codice illo exarando operam posuit, spatia reppererat, inscriptiones non reppererat. Facile eum librarium animo fingo, qui intervalla relinquat, inscriptiones autem nullas litteris mandet, cum nullae sint, non eum qui, illis relictis, has tamen neglegat, quas in promptu habeat. At non neglexit; tum sibi proposuerat ut adiceret, postquam codicem descripsisset totum: quominus res efficeretur, quid obstiterit, ne investigandum quidem est. — Sed hoc inscriptione illa refellitur, quam in prima codicis N¹ pagina esse vidimus; hac enim librarius recepta, cur non reliquas reciperet? Nam quamvis ea eiusmodi sit, quam qui N¹ exaravit ipse ex suo penu depromere potuerit, primum maxime veri simile puto iam in X significatum esse, quem ad poetam carmina pertinerent; deinde mihi videor iure posse contendere, quae inscriptio est in N¹, eam iam in A³ fuisse. Quod dico, N¹ cum B comparato. Hi codices, qui ut aliis rebus ita carminum spatiis inter se consentiunt, non minimum discrepant, si ea verba respicimus, quae sunt universo carminum libro praeposita. Nam ante Campesani epigramma haec habet N¹: CATULLI VERONENSIS POETE FOELICITER INCIPIT, B post illud epigramma (itaque, ut G, ante primum carmen) haec: CATULLI VERONENSIS LIBER INCIPIT AD CORNELIUM. Discrepantia vero non ex hoc oritur, quod duae sint inscriptiones, non ab eodem ingenio profectae. Una est, ut arbitror, inscriptio, nisi quod in B emendata est. Si ad Catulli carmina pertinet, quam

bene ante Campesani epigramma erat collocata? Deleta igitur est et suo loco primo carmini praeposita. Cum autem, id quod ex N[1] conicitur, unius hic versiculi spatium vacaret, ob eamque rem in idem esset etiam illud « ad Cornelium » includendum, verbis ac litteris parcere fuit necesse. Ob id « poete » deletum est, od id, et meliore consilio, « liber » additum, « foeliciter » detractum.

Ex iis quae dixi illud efficitur, in A[3] non ab initio fuisse carminum inscriptiones. Atque, ut ego equidem puto, cum hae ad singula carmina adiectae sunt, tum universi libelli inscriptio mota loco est et paulum immutata. Quo confirmatur quod ex versiculis 3-10 in N[1] servatis, in B omissis elucet, huic aetate X superiorem fuisse.

Restat ut pauca dicam de Bibaculi epigrammatis in N[1] opinionis errore inter Catulli carmina receptis. Suetonianus libellus de Grammaticis et Rhetoribus, cum diu latuisset, tandem ab Enoco Asculano, qui Galliam et Germaniam librorum perquirendorum causa peragravit, inventus est et in Italiam delatus (cf. Suet. Ed. Roth. p. LI). Qui quo plane anno in doctorum manibus esse coeperit, docet Iovianus Pontanus his verbis : « Nuper enim Bartholomaeus Facius familiaris noster de viris illustribus temporis sui libros composuit, qui ne hos Suetonii *illustres viros* videre posset, mors immatura effecit. Paulo enim post eius mortem in lucem redierunt » (ib. p. 288). Facius autem diem obiit anno MCCCCLVII. Itaque Bibaculi epigrammata, si ex Suetonii libello sumpta sunt, prorsus putandum est, ab eo qui N[1] descripsit ad Catulli carmina esse addita. Cum statui non possit, quo tandem anno codex hic descriptus sit, illud adfirmare licet, multo ante libellum Suetonii inventum, esse X descriptum. Sed illa epigrammata e libello Suetoniano vereor ut sumi potuerint. Apertissime enim apud Suetonium pertinent ad Bibacu-

lum: « ut auctor est Bibaculus »: quomodo existimari poterat scripta esse a Catullo? Nec alienum est ad quaedam animum attendere mire corrupta. Omitto «fere» pro «forte», «assilias» pro «assulas» (codd. (1) *assylas, assyllas*, *asillas*), «eilios» pro «alios» («ortalis» scriptumne fuerit, an aliter [« hortulos» vulgo], non discerno), «que (q;) lapi» pro «Priapi», «senecteis» (?) pro «senectam»: satis erit oculos conicere in sextum versiculum prioris epigrammatis et in ultimum posterioris. Ille huiusmodi est: «Qua celibrua calculus etros farris». Quoniam scripsit Bibaculus: «Quem tres cauliculi (*calculi* aut *calculis* codd.), selibra farris», verba non modo corrupta sunt, sed etiam perperam collocata. Hic versiculus est huiusmodi: «En c... (recentioribus litteris vetustiores occultantur) enoecatis en lecum catetis»: Bibaculus scripserat: «En cor Zenodati en iecur Cratetis». Quae non eius sunt qui quod ad Catullum non pertineret, sed pertinere putaret, adiudicarit Catullo; eius sunt qui, quae maxime essent corrupta, descripserit et sua fortasse ad aliorum menda addiderit. Aliud est, quae quodam in libro sint, omnia describere, aliud ea eligere quae ante probaveris. Nihil tamen considerandum ita existimo, ut nomen Catonis. In priore epigrammate «Catotius», ut mihi videre videor (recentioribus enim litteris hic quoque vetustiorum aliquid occultatur), scriptum est; in altero «Ccironis». Sed, ut par est credere, idcirco haec epigrammata post carmen XVI collocata sunt, quod eodem metro, phalaecio dico, essent scripta, ob eamque rem potissimum in librum Catulli iniecta, quod Catullus ad Catonem quosdam versiculos (c. LVI) misisset. Sed is qui N[1] descripsit, si ne nomen qui-

(1) Cum nullum potuerim libelli Suetoniani codicem inspicere, usus tantummodo sum apparatu critico, ut aiunt, Aemilii Baherensii (Fragm. Poet. Rom. p. 317-18).

dem Catonis intellexit—nec quicquam erat tam facile quam illud ex corrupto « Ccironis » elicere — quo iure, quod aliena ad Catulli carmina addiderit, accusabitur (1)? Itaque cognita erant epigrammata Bibaculi, antequam Enocus Suetonianum libellum repperisset, eademque, antequam N[1] esset exaratus, ad illa carmina accesserant. Cuius essent, cum nullo modo pateret, Catullo adiudicata sunt, ut dixi, ob Catonis nomen et metrum. Seriusne adiudicata ei sint, an in ipso A[3] fuerint, non quaeremus. Satis hunc librum novimus: existimare iam ipsum Bibaculi versiculos habuisse, non tam est sollertiae quam prudentiae. Itaque cur in N[1] ii sint, non sint in B, res ipsa declarat. Cum descriptus est X, etiam tum inter carmina Catulliana erant, iam non erant, cum descriptus est B. Sic ea iterum confirmantur quae ad aetatem pertinent horum librorum.

At si de V. Catone versiculos Bibaculi esse post annum MCCCCLVII perspici potuit (post quem annum libellus Suetonianus in manibus esse coepit), quid effecit, ut iidem ante annum MCCCCXII, nam tum, ut vidimus, natus est B, ex Catullianis carminibus detraherentur? Hoc profecto quod liber ille, quem A[3] nota distinxi, cum altero libro collatus est (v. s. p. 9). Ea erant illius vitia, ut singularem huic fidem habere maxime esset consentaneum. Quocirca ut, quae hactenus disputavi, paucis complectar, aio fuisse olim antiquum Catulli codicem, sine inscriptionibus, duobus Bibaculi epigrammatis auctum, foede perturbatum. Quem, cum de eo, si non plures, unus certe liber esset exscriptus (librum X dico), cum bono quodam codice esse collatum. Hinc

(1) Mirum est in N[1] eos poetas esse coniunctos (nemo enim ignorat ex F. Bibaculi versiculis praeter haec duo brevissima epigrammata nihil integri superesse) qui, ut eiusdem fuerunt disciplinae, ita apud maximos scriptores Quintilianum (In. Or. X, 1, 96) et Tacitum (A. IV,34) una laudentur.

Bibaculi versiculos deletos esse, inscriptiones adiectas, c. LXI in pristinum ordinem redactum, carminis XXIV versus 3-10 post versum 2 in margine adscriptos. Quod si codice ita emendato, tamen carmina XXXXIV 21 — LXII et in B et in aliis huius generis libris longe a recto ordine distant, hoc nullam habet admirationem. Is qui emendandi munere functus est, quomodo carminum ordo restitui deberet, positis in margine signis indicavit; quae qui post fuerunt librarii, re non satis perspecta, neglexerunt. Nec omnes neglexisse adfirmare audeo. Perturbatorum codicum originem ex hoc quod sunt perturbati, facile intellegimus: eorum, qui perturbati non sunt, quis negabit fieri potuisse ut aliquis eodem e fonte manaret, ex quo manavit B, eius autem ordinem idcirco se vitiose non habere, quod signa illa, quorum mentionem inieci, neglecta non sint?

N^1 ob hanc ipsam causam, quod ab eo ad A^3, ut ita dicam, pervenimus, aliquo modo utilem esse posse, si quis Catulli codices qua cognatione inter se contineantur, diligentius quam hactenus quisquam fecerit, perscrutari velit, equidem ego confido. Neque hac una in re est eius utilitas ponenda. B, ut aliquid persequar, undeviginti habet « duplices scripturas », quae eaedem sunt in G, quattuordecim vero (ex his decem, ut Schulzius monuit, etiam M habet), quae in G non sunt. Cum nullo pacto adfirmari posset librarium, qui codicem B exaravit, illas addidisse, ne has quidem—eiusdem enim esse generis plane videntur—ab eo additas esse recte conclusum est (cf. Sydow, p. 14). Nunc ex N^1 patet, quattuordecim « duplices scripturas », quarum mentionem feci, multo ante in A^3 fuisse, quam B descriptus esset. Nam N^1, in quo nullas prorsus reperimus varias lectiones, ea saepe habet, quae B in marginibus aut inter lineas; dicam melius: tribus locis exceptis (XXX 9, XXXXIV 20, CIII 3), haec in reli-

quis habet (1). Lacuna, quae est in versu 119 carminis LXIV, in Edit. a. MCCCCLXXII, in Edit. Parm. a. MCCCCLXXIII, in cod. Henr. Alani a. MCCCCLXVII (quem P littera distinxit Ellisius, Edit. p. LV), unius verbi spatio indicata est inter « deperdita » et « laeta ». N^1 quippe qui idem spatium habeat eodem loco, in eam opinionem me adducit, ut putem lacunam illam ibidem iam in A^3 fuisse. Atque etiam existimanti mihi non in extremo versu, sed hic aliquid perisse, veri simillimum videtur in ipso V inter « deperdita » et « laeta » aut omnino breve quoddam spatium fuisse aut id verbum, quod legi non posset.

Ad eam tamen Catullianorum verborum partem recuperandam, quam viri docti aut non recuperaverunt aut non recuperatam esse arbitrantur, nullum est fere adiumentum ex N^1 exspectandum. Quo cum concesserimus aliquid confirmari posse, quod compertum iam sit, omnia mea quidem sententia concesserimus. Nam si quid interdum, quod ad Catulli orationem restituendam utile esse possit, in N^1 invenimus, quod in G et O

(1). Duplices scripturae, quas commemoravi, hae sunt quae sequuntur:
XXX 9 *inde al idem* B M *inde* N^1, XXXIX 20 *expolitor al expolitior* B M *expolitior* N^1, XXXXIV 8 *vertitur al vertur* B *vertitur* N^1 *vertur* M, LXIV 80 *ver^{x}sarentur* B *vexarentur* N^1 M, LXIV 303 *fl^{e}uxerunt* B *flexerunt* N^1 M, LXVI 45 *atque al cumque* BM *cumque* N^1, LXVIII 91 *frater al fratri* B *fratri* N^1 M, LXVIII 119 *nec causa al neque tam* BM *neque tam* N^1, XCII 2 *amo al amat* BM *amet* N^1, XCVII 1 *quicquid al quicquam* BM *quicquam* N^1, XCVIII 4 *carpatians al carpatinas* BM *carpatinas* N^1, C 2 *treronensum al veronensum* B *veronensium* N^1 *veronensum al trenorensum* M, C 6 *est igitur al exigitur* BM *exigitur* N^1, CIII 3 *numi al mimi* B *mimi al numi* M *numini* N^1. Vix animavertendum puto in " amet „ XCII 2, " Veronensium „ C 2, " numini „ CIII 3 N^1 a B non discrepare, siquidem aperte hi sunt errores librarii.

non inveniamus, id semper fere alii libri, B in primis, suppeditarunt. Quam rem, ne longe abirem, demonstrandam non putavi; siqui tamen comparationibus delectantur, ii locorum qui, cum in controversia versentur, a me erunt diligenter expensi, lectiones, quas habent G O B M N[1], suo loco (p. 281 ss.) congestas invenient. Ex ceteris enim codicibus, quos inspexi, transcripsi nihil. Quod si quid transcripsissem, operam me perdidisse arbitrarer (1).

Quae de M docuit C. Schulzius, ea non admodum distant ab iis, quae ego dixi de N[1]. Ille enim ut doctis suasit, librum Venetum optimis esse adnumerandum, ita in hoc potissimum eiusdem collocat utilitatem, quod nonnulla ex iis confirmentur, quae scripta sint in deterioribus libris (2).

Quibus expositis, illud vere mihi statuere posse videor, si, ad ea emendanda, quae nemo adhuc emendavit in Catulli carminibus, ad ea in lucem proferenda, quae in tenebris etiam nunc versantur, omnes ad unum codices perscrutaremur, ex iis qui nihil aut non multum investigati sunt, non maiorem nos esse utilitatem capturos, quam ex illis cepimus, qui cogniti sunt penitusque perspecti. Cum una sit omnium origo, ii quos hactenus, ut ita dicam, interrogavimus, non pro se solum, sed pro iis etiam responderunt, qui

(1) Etiam L[1] inspicere in animo habueram. Sed qui liber Schwabio Florentia Tubingam missus esset (cf. Schw. Edit. a. MDCCCLXXXVI, p. V), is impetrare non potui, ut mihi mitteretur Panormum. Qua tamen in urbe optimo codice B diu sum usus.

(2) " Ein neues Aussehen erhält der Text des Catull freilich auch nach Benutzung von M so wenig, wie die Verwerthung des cod. O eine Umgestaltung desselben herbeigeführt hat. Da alle unsere Handschriften auf eine gemeinsame Quelle zurückgehen, ist dies ausgeschlossen. Aber an mancher Stelle wird die gute Lesart, *die wir bisher nur aus stark interpolirten Handschriften kannten,* durch M bestätigt oder aus unverdienter Vergessenheit hervorgezogen " (Hermes XXIII p. 591).

aut paululum admodum sunt aut nullo modo interrogati (1).

II.

Quid ex eo concludi debeat, quod codices non tales sunt, e quibus, quid Catullus scripserit, omnibus locis percipere possimus, facillime intellegitur. Docti quidem homines coniecturas facere non desinent, sed vel maximo ingenio adhibito summaque industria, quae restituenda sunt, ea numquam omnia restituent. Quomodo fieri potest ut Catulli sententiam, ubi unus versus aut plures exciderunt, etiamsi cognitam comprehensamque animis habeamus, ipsis reddamus Catulli verbis? Atque etiam interdum, cum unum est verbum restituendum, verum invenerimus, sed verum nos invenisse non existimabimus. Ubi aliquid in codicibus deest aut est valde corruptum, non semper, ideo quod veri similis est sententia quae reponitur, omnis tollitur dubitatio.

R. Ellisius in eo libro, quem ad Catulliana carmina explananda docte et diligenter scripsit (A Commentary on Catullus 1889, p. XIV), statuere sibi licere putavit, multo melius de Catullo meritos esse abhinc annos quadringentos nostros homines, Avantium in primis, quam viros eruditissimos, qui sua ad eum converterunt studia temporibus, quae post fuerunt. Adfirmat enim veras esse duas Scaligeri emendationes (LXI 196, LXIII 78), tres Vossii (XXIV 14, LXIV 55.211), fortasse unam Corradini de Allio (XXXIX 17) et unam

(1) Ob hanc etiam rem id animadvertere non fuit alienum, quod, ut ex P conicere licet, de quo supra locutus sum, atque ex codice (= D bis 4. 3. 5) eiusdem fere aetatis, qui nuper in Bibliotheca Beriana apud Ligures Hieronymus Bertolottus (cf. Giornale Ligustico, anno XIX. 1892, fasc. VII-VIII) invenit, accidere potest, ut alii Catulli libri e tenebris, in quibus etiam nunc iaceant, aliquando in lucem proferantur.

Lachmanni (LXVI 58); ad verum proxime accedere ea quae coniecit Handius de versiculo 11 carminis XXI, Froelichius de v. 18 c. XXXX, Hauptius de v. 46 c. LXI, Lachmannus de v. 70 c. LXVI, Palmerius de v. 6 c. C. Idem censet, se ipsum certe in c. LXXVI, 11, fortasse in c. LXVIII 55 verum dispexisse: ea, quae protulit Heinsius, quae Bentleius, vix esse veri similia.

Si verae nullae aliae essent coniecturae, nisi quae omnibus probarentur, illud poni deberet, his recentioribus numquam fere contigisse, ut, quod verum esset, invenirent. Est enim, ut ego arbitror, quod de hac ipsa Ellisii ratione sit deducendum. Omitto « mellitus » XXI 11, « anxiis » LXI 46, « perspecta est igni tum » C 6, quae esse proxima vero, non vera Ellisius iudicavit. Sed ne invitus quidem facere possum ut concedam in v. 78 c. LXIII Scaligerum « i » recte addidisse, in v. 58 c. LXVI « Graia », id quod iubet Lachmannus, legi oportere. Quin ipsum Ellisium nego « pupula » in LXVIII 55, « te ipse » in LXXVI 11 bene reposuisse. Illud tamen pro certo habeo, non raro adhuc verum requiri, cum inventum iam sit aut ab his recentioribus aut ab hominibus qui primi omnium ad emendandum Catullum se contulerunt.

Qua in disputando ratione usus sim, nunc breviter exponam. Coniectura aliquid adsequi tum conatus sum, cum maxime mihi fuit persuasum, nihil alios esse adsecutos. Quae vero scite essent inventa, nec omnibus tamen doctis probarentur, ea, si potui, meis rationibus confirmavi. Cum intellexi aurum Catullianum etiam nunc esse effodiendum, nec eo ingenio fui, ut ipse effoderem, id confiteri non dubitavi. Ubi tale esset vitium, quod removeri non posset, medicum secutus sum qui, nisi sperat fore ut morbus sanetur, nullam prorsus adhibet medicinam. Sive aliorum sententiis adsensus sum, sive novi aliquid attuli, opiniones

commemoravi, quas non probarem. Non omnes tamen commemoravi, nec repugnavi omnibus. Non in qualibet re idem decet, sed aliud alia res postulat. Quod si qui vir doctus in sententia sua non permansit, tum repudiatae sententiae mentionem feci, cum id credidi quodammodo profuturum. Nisi fuit necesse, veteres interpretes in medium non protuli: in re controversa potius quid homines posterioris aetatis, quam quid illi sentirent, dicendum censui. Quod si cui in doctorum vel coniecturis adferendis, vel nominibus laudandis, quae via esset media inter nimium et parum, non eam semper secutus esse videbor (1), ille quidem scito, nulla alia in re fortasse tam esse difficile, quam in hac, ut nimium ita parum vitare.

Studium meum in eos statui Catulli locos conferre, qui aut essent aut putarentur corrupti. Rem tamen paucis declarabo. Si quae in dubium vocata sunt, omnia persequi voluissem, nescio quam essent multi versiculi, de quibus mihi non fuisset disputandum. Itaque illos locos, qui non sunt, sententia mea, corrupti, neglegendos non putavi, qui aut multis doctis essent suspecti aut, si paucis, non temere in controversiam adducti esse viderentur. Ut exemplum adferam neque a Pleitnero neque a Baehrensio petitum, ab iis dico qui Catulli carmina omnibus locis corrupta esse arbitrantur, Manlius et Aurunculeia, si « assiduo » pro « assidue » scribimus (LXI 234), qua emendatione nihil est magis probandum, munere adsiduo iuventam exercent. Fuit qui non « assidue » modo, sed « munere » etiam mutato, « mutue assiduei » reponi oportere censeret. At primum muneris a Venere coniugibus adsignati quam apte mentio fiat, non demonstrabo; deinde non video quomodo

(1) Vix opus est dicere me multa ex iis quae de C. carminibus scripta sunt, legisse, sed variis de causis non omnia legere potuisse.

coniuges, qui adsidue iuventam exerceant, iidem possint non mutue adsidui exercere. Ab hac huiusque similibus coniecturis nonne debui mentem avertere? Ubi autem quid intellegendum sit, non quid scribendum, discrepant docti, non sum oblitus me proprium interpretis munus nequaquam suscepisse.

Catulli carmina emittere animum non induxi: quae quidem quam primum emitti, si videbitur, poterunt. Cum tamen singulos versus, singula verba perpendissem, cuipiam me satis facturum existimavi, si in illis etiam locis, quos praeterissem ac reliquissem (cur enim eos locos non praetermitterem, in quibus ad ea, quae alii disputassent, quod adiungerem, nihil habebam?), quid prorsus legendum arbitrarer, patefecissem. Nec ad hanc rem aptius quicquam visum est quam ex Catullianis editionibus eam deligere, ad quam, in silentio meo, se ii, qui haec lecturi essent, conferrent. Quaenam vero editio, quae iure deligi possit, post Lachmannum prodierit in Italia (antiquiores editiones ad id quod est propositum non esse accommodatas neminem fallit), equidem compertum non habeo.

His temporibus apud nos non omnino defuerunt, qui ad aliquod Catulli carmen explanandum atque emendandum incumberent, aut ad aliquam accederent ex quaestionibus, quae quodammodo ad Catullianos codices pertinuerent (1): si qui vero « lepidum libellum » foras dederunt, ut unum hoc dicam, non plane sui, sed toti alieni fuerunt (2). Quapropter illam editionem

(1) Satis erit laudare, praeter A. Tartaram (Animadversiones in locos nonnullos C. Catulli et T. Livii, MDCCCLXXXII) et C. Nigram (la Chioma), R. Sabbadinium, qui in eo elaboravit, ut ostenderet (Rivista di Filologia classica XIII p. 266 XIV p. 179, cf. etiam Schwab. Ed. MDCCCLXXXVI p. XVIII), Guarinum Veronensem Catulli emendatorem non fuisse.

(2) Catulli libellum se mox esse editurum, nuper pollicitus est

adsumpsi, quam apud Germanos anno MDCCCLXXXVI protulit L. Schwabius. Quae, ut magna laude est digna, ita in omnium manibus est. Itaque in versiculis, de quibus etiam nunc disceptatur, si in nullam ingressus sum disputationem, quemadmodum mihi legendum videretur, docui, cum a Schwabio dissensi; cum non dissensi, non docui.

III.

Sed antequam de singulis Catulli locis dicere incipio, ea breviter complectar, quae monenda arbitror de orthographia. Namque eandem rem saepe intermissam saepe repetere cum scribenti tum legenti est molestissimum.

Quod omnes fere elegantissimi homines praecipiunt, ut, cum frequenter in codicibus non easdem litteras reperiamus, quibus usus sit Catullus, pristinae verborum restituantur formae quam possint plurimae, id maxime esse probandum nemo non perspicit. Sed quod facile, quod sine periculo praecipitur, hoc non facile semper, non semper sine periculo effici potest. Postgatius, ut unum ex iis laudem, qui his diebus scripserunt, ut praeter alia animadvertit « karum » (II 6) in barbarismorum numero putari oportere (optime barbarismis « siccine » [LXIV 132, 134 LXXVII 3] adnumeravit B. Schmidtius; Ed. Mai. MDCCCLXXXVII) et « libidinis » (XXXXV 24) accusativo plurali recte dici Buechelerum negasse, sic statuit, dubitandum quidem esse, verumne sit in versiculo 3 carminis LVII « paris », quod fuit in V, in v. 32 c. LXII « aequalis », quod est in Thuaneo (=T), cum fieri potuerit ut « i » non « e » ideo scriberetur,

He. Stampinius, cum Horatii carmina et sermones (Mutinae sumpt. E. Sarasino, a. MDCCCXCII) emisit. Ab eo rem quidem egregiam exspectare iure possumus.

quod ante illud verbum scriptum esset « maculae » (Postgatius enim arbitratur « maculae » pro genetivo habitum esse), ante hoc vero « nobis » (cf. Journ. of philolog. 1888 p. 267). Tantum abest ut putem non recte haec Postgatium in dubium vocasse, ut nec « aequalis » nec, sicut ei videtur, « aequale », sed, quemadmodum et voluit is qui G correxit et habent BMN^{1} (1), « aequalem » reponi oportere suo loco (p. 250 ss.) contenderim. Ego autem hiemis et neglegendi nomina in medium profero. In O LXVIII, 82 « hyemps » est. Sed utrum « p » litteram, ut omnes fere censent, per errorem interiectam putabimus, an « hyemps » (G « hyēms » habet, non « hyems » nec « hiems ») scripsit Catullus? Ita hoc nomen licere scribi (per codices quidem licet) negant grammatici (cfr. Neu. I p. 137 ss. Bramb. L.O. p. 249 ss.): verum negant ceteris casibus intempestive perpensis aut nominibus Latinis cum Graecis incommode comparatis. Latini enim inter « m » et « s », id quod in quibusdam perfectis (« sumpsi » « prompsi ») cernitur (« sumptum » « promptum » non « suntum » « prontum » dici, quod « sumpsi » « prompsi » dicatur, nemo ignorat), « p » litteram interponere consueverunt. (cf. Munro Lucr. I, p. 38) « Negligo » semper est in omnibus fere codicibus, in O modo « negligo » modo « neglego ». Probe XII 3 « neglegentiorem », LXI 199 « neglegit » scribunt, posthabitis reliquis libris: sed quia X 34 « negligentem », XXX 5 « negligis » habet O, idcircone « negligentem » « negligis » Catullo tribuemus?

Sed res fortasse difficilior est et obscurior, cum verbum nullo modo patet, sed e litteris eliciendum est aliqua ex parte corruptis. Recte dicit Postgatius, LXVI 80 « unanimus » (plerique « unanimis », non « unanimeis » legunt) scriptum esse in codicibus, quia post

(1) Rationem scribendi non in O et G modo persequor, sed etiam in M B N^{1}. Si quis autem liber a ceteris differat, hunc adfero: in omnium consensu nullum nomino.

verbum, quod in « us » syllabam caderet (« prius »), collocatum esset; temere adfirmari pro « scis » (O N^1 « sis ») XXXIV 21 « seis » esse reponendum, cum « scimus » pro « simus » in versiculo 146 carminis LXI, « scuscitat » pro « suscitat » in v. 124 carminis LXVIII reperiatur. Idem iure negat ex « hec » VI 9, LXVII 39 « heic », ex « atque » LXVIII 141 « atquei » depromi licere. Et quidem centies « e » pro « i » legimus. In v. 9 autem carminis VI, ubi, si « heic » scripserimus, « illeic » scribi debet, ob hanc causam mihi persuasum est « hic » (codd. « hec ») esse intellegendum, quia, ut opinor, in « illo », quod proxime sequitur, « ille » latet (v. i. p. 64). Nam cum difficile est putare « o » pro « eic » scriptum esse, tum saepissime « o » pro « e » in libris videmus: cf., praeter alia, X 24 « docuit » (B « d$\overset{e}{o}$cuit »), LXI 127 « foscennina » (O, B « fascennia », N^1 « feminea »), 230 « penolopeo » (O « pene lopeo »), 233 « bone », LXIII 67 « solo » (B « sol$\overset{e}{o}$ »), 68 « cibellos » (O), LXIV 191 « comprecor » (N^1 « complector ») pro *decuit Fescennina Penelopeo bene sole Cybeles comprecer*. Sed idem Postgatius nescio an plus aequo concedat ut Lachmanno, quem ait optimo iure in versiculo 2 carminis VI pro « ne » « nei » restituisse (meliore, sed non optimo iure hoc ipsum vocabulum pro « nec » VI 14 substituit Marcilius), ita Baehrensio, quem tam veri simile esse ducit pro « satis » LXVIII 155 « seitis » recte scripsisse, ut « seitis » ipse scribat (Ed. a. MDCCCLXXXIX). At quam facile e « ne » « ni » depromatur, supervacaneum est demonstrare. « Satis » vero credibile est ortum esse ut e « seitis », ita aut e « scitis », siquidem « sc » pro « s » interdum habent libri (v. s.; « scitis » hic est in N^1) aut ex ipso « sitis », cum non raro « a » pro « i » (cf. XXXVI 12 « adalium » O G M, et LXI 17 G, L 8 « Lacini » O G M, B « Licini », LXI 205

« abscondas ») quemadmodum « i » pro « a » (cf. XCIX 7 « ad » G, CX 7 « efficit », ubi « est făcinus » restituendum puto, v. ad h. l., LXI 7 « amarici » O M G, LXIII 89 « ficit » O — « fecit » G M N[1], quid olim habuerit B, qui nunc « facit » habet, non dispicio — LXIV 180 « Im » O « In » G, CV 1 « scindere ») inveniamus. Sed sine dubio nimium sibi sumit Postgatius, cum adfirmat ex « indignatis » (O) et « indigetis » (G) LXVI 86 perspicuum esse quondam codices « INDIGNEIS » habuisse. Si enim fingimus, id quod per litterarum grandium formas omnino licet, « A T » litteras in « N » esse intellectas, ob eamque rem non « indignis » lectum esse, sed « indigatis », quoniam hoc verbum nihil prorsus indicat, quid est negotii perspicere, quomodo « indignatis » et « indigetis » exstiterint? Quod si hic « e » pro « a » legi, illic « n » interici debuit, « indignatis » aut « indigetis » ex « indigneis » non depromitur facilius.

Ad ea, quae dixi, alia addi commode possunt. Complures in « sed » LXVI 35 « sei » conversum esse arbitrantur. Verum cum ex « Si » facile nascitur « S; » (= Sed), tum LXIV 68 « Sine que » (N[1] « sint que ») scriptum est pro « Sed neque ». Atque hoc etiam animadvertendum censeo, in libris Catullianis « sed » pro « se » esse aliquando: cf. LXI 220 « Sed mihi ante » (= Semihiante) LXV 2 « sed vacat » (= sevocat). In LXIV 164 « aures » habet O et habuit G, « auris », ut is voluit qui G correxit, habent M B N[1] cum aliis codicibus: num, Baehrensio et Schwabio adsentientes, « aureis » scribemus? Quod LXVIII 67 « classum » est in plurimis libris, utrum auctoritate Quintiliani freti (In. Or. I, 7, 20 *Quid? quod Ciceronis temporibus paulumque infra, fere quotiens S littera media vocalium longarum vel subiecta longis esset, geminabatur*) « clussum » legemus, an existimabimus in unam ex multis librariorum geminationibus (cf. C.

I. L. II 3386 *clusuris*, 4206 *Cludio*, 4550, X 1598, 2614 *clusa*, 3037, 6069 *clusum)* nos incidisse? Nec libri O auctoritas, qui « clausum » habet, est pro nihilo putanda. Non gravor concedere in « male est si » XXXVIII 1 et « male si » 2 (M B N[1] « male est si ») « malest » latere, in « certe si » LXII 8 (T «certes .i.») « certest », in « adeptus ». LXVI 27 (O « adeptos » B «adepta es» in rasura) « adepta' s »,atque etiam, si placet, « maestast » in « maiestas » LXIII 49 (M « maiestas », al maiestates O « magestates » B « maiestas » al moestula N[1] « mestula »): sed ad Catullum pertinere « patrist » LXII 63, omnino nego; « tuast » LXII 64 « figuraest » LXIII 62 « dolorist » XCVI 5 (de « doloreist », quod attulit Ellisius, nihil dico), suspicari licet, non adfirmare. Si T habet non « patri », ut est in ceteris libris et ego restituendum arbitror (v. ad h. l.) sed « patris », hoc proximo « pars » tribuito. In « Tu est » (T) recte cogitari potest « a » litteram esse a librario aut inconsiderate omissam aut, si « u » litterae simillima erat — passim enim « a » pro « u » videmus—consulto detractam. « Figuraest» (codd. « figura est ») probarem, si « ae » diphthongus semper in codicibus scribi esset solita; quia fuit cum non scriberetur, quid obstat quominus existimemus in « a » « e », id quod saepe fit, intellegi debere? Postremo ad « dolor est » (N[1] quocum alii libri consentiunt, « dolore est ») tam est credibile ortum esse ex « dolorist » (dolor ist, dolor est), quam ex « dolori est » (dolor iest, dolor est): quin etiam, si scriptum erat « dolor iest », haud scio an ob eam causam is, qui hunc locum emendare voluit, ad proximum « dolor » « i » litteram non transtulerit, sed omnino deleverit, quod, hoc ipso « est » in errorem raptus, opus esse putaret nominativo. Omnes fere interpretes et editores « quoi » pro « cui » hic illic reponendum censent: « quoi » igitur, si videbitur, scribamus; sed aliis ratio-

nibus adducti, aliis codicibus freti, non auctoritatem adferentes librorum O et G, quam nonnulli adferunt unam. In quibus, omissis locis, ubi est «cui» (XVII 14, XXIII 1, LXII 60, LXIV 26, LXVII 9. 21. 38, LXVIII 131, LXXXIX 1, sed LXIV 219 «que» G), excepto versiculo primo carminis CVII, in quo O «quid quid» habet, G «quicquid» (M «quicquid», B «quicquam», N[1] «quid»), «qui» (I 1, II 3, XXIV 5, LXVII 47) reperitur (1). Hoc autem ipsum «qui» esse pristini «quoi» certissimum indicium mihi suadere non queo. Primum similitudo soni causa potuit esse erroris, quod cum et ipsi intellegimus et ex loco quodam Quintiliani conicimus (*Illud nunc melius*, *quod* cui *tribus*, *quas praeposui litteris*, *enotamus*; *in quo pueris nobis ad pinguem sane sonum q et u et o et i utebantur tantum*, *ut ab illo* qui *distingueretur* I 7, 27), tum, ut praetermittam Inscriptiones, quae saepe «c» pro «q» «q» pro «c» habent, in ipsis O G B M cernimus, ubi XI 22 «cui» scriptum est pro «qui», LXIX 8 «cuicum» pro «quicum» (N[1] «qui cum»). Deinde Munronis sententia (Journ. of Philol. 1872 p. 247, v. etiam Lucr. IV 50), quam defendit Ellisius, existimantis «qui», non «quoi» nec «cui» esse scribendum, probabilis illa quidem videri potest. Qua in re digna sunt quae perpendantur ea quae V. Longus et Papirianus (cf. Neu. II p. 451) litteris mandarunt: *Cuius et cui* q *censuerunt quidam scribenda*, *quo magis servaretur origini fides.*—*Cuius et cui pronomina per* q *scribebantur*. «Cui iocum» autem, quod est in c. XVII 14, tantum abest ut aperte declaret, sicut plerique volunt, Catullum «quoi» scripsisse, ut longe

(1) N[1] habet "qui" in II 3, LXVII 38.47, "quoi" in I 1, in reliquis "cui"; B "qui" in II 3, LXVII 47, in rel. "cui", sed in I 1 aliquid abrasum est; M "qui" in II 3, XXIV 5, LXVII 47, in rel. "cui".

aliter ac « quoi cum » intellegi possit. Finge propter « i » litterulae geminationem « cui icum » exstitisse : cum hisce in litteris nulla subesset res, « ludere », quod est in v. 17, causam attulit emendationis. Velut LXVIII 84, si ex « abrupto » is qui O descripsit « ab innupto » coniecit, illi « coniugio », quod proxime sequitur, est, ut opinor, tribuendum; velut, id quod suspicatur Schulzius (der Cod. M.), et LXI 51 « remus », quae al remulus est varta lectio, ex hoc ortum est in G (M « remus »), quod Remus omnibus notus esset, non Remulus (id enim pro « tremulus » habent complures libri, nonnulli vero, in his B, « romulus », N[1] « romulis ») et XXXV 13 « indotatam » non « incohatam » (« incoata » tamen B et N[1]) scriptum est, quod aliquam sine dote mulierculam librarius quidam cogitatione finxisset. Putarem autem LXXI 1 in « qua » (N[1] « quo ») « quoi » abditum latere, si « a » pro « i » numquam invenirem; cum frequenter inveniam, in « qua » « qui » video. Sed satis de verbis corruptis, non omnia enim consectari fuit consilium.

Venio ad vocabula, quae alibi aliter in codicibus scripta sunt. Huiusmodi varietas estne omnibus locis ad Catullum referenda ? In eodem vocabulo (sive in nominibus tertiae, quae dicitur, declinationis quorundam casuum exitus spectamus, sive in compositis, ut aiunt, verbis quasdam praepositiones, sive aliud) non scriptores modo eiusdem temporis, sed etiam eundem scriptorem inconstanter se gessisse docent et praeclarae inscriptiones et optimi codices et grammaticorum commentationes. Sequitur ut existimare liceat Catullum accusativo plurali « omnes » (V 3, XXXXV 4, LV 19, LVIII 3, LXVIII 159, XCVIII 5) et « omnis » (LI 5, O etiam LXXXVI 6)—ubi nominativus est, codices habent « omnes » (cf. XXXVII 15.16, XXXXII 2)—dixisse, atque, ut unum considerem carmen LXIV, scripsisse 65 « lactentis », 170 « auris » (B « auras »), 233 « collis », 262 « tenuis », 302 « iuga-

lis » (N[1] « iugales »), 391 « evantis » (M « ovantis », B « evantibus »); ad quae ne 276 « linquentis » (O G M) addatur, non obsistam, etsi et hic est nominativus et plerique codices, in his B et N[1], « linquentes » habent. Eadem ratione non absurdum est putare sane ad Catullum pertinere LXII 60 « aequom » (O G, B M « aequo », N[1] « aequum ») et LXVIII 141 « aequm » (G M B N[1] « aequum), XXXXIV 9 « appeto » et II 3 « atpetenti » (B « ac petenti » N[1] « ac parenti »), XCIX 1 « surripui » (N[1] « subripuit »), 16 « surripiam » et LXXXVI 6 « subripuit » ; quamquam « surripuit » est ut in aliis codicibus ita in G M B N[1]. In c. LXIV sunt 119 « gnata » (G « ingnata », O « ignata » = « in gnata », M B « ignata » N[1] « ignota »), 215, 216 « gnate », 213 « gnatum », 220 « gnati », 349 « gnatorum » et 298 « natis » (O G « gnatis » M, ut habet G in margine, « gratis ») 400 « natus » (M B N[1] « natos »), 401 « nati », 403 « nato »; in c. LXVII 23, 30 « gnati » (in v. 23 B N[1] « nati ») et 26 « natus ». Etsi non modo in eodem carmine, sed in versibus nullo fere spatio seiunctis varietatem videmus, nihil est quod offendamur. Satis enim apparet Catullum formas, in quibus « g » littera esset, elegisse, sed ubi metrum violaretur—nam apud eum ut apud alios poetas si in vocalem brevem verbum cadit, haec ante « gn » litteras producitur — (in v. 26 carminis LXVII ob hoc etiam « natus » est, non « gnatus », quod est participium) non « gn » sed « n » scripsisse. Quod si in v. 400 scriptum est « natus », cum vocalis, quae huic verbo antecedit, et debeat esse et iam ipsa sit longa, omnes perspiciunt Catullum « gnatus », non dixisse, quod « nati » (hoc enim verbum illi verbo respondet; cf. c. LXII 21-22 *Qui natam possis-avellere natam*) esset in v. 401. Sed tamen in v. 6 carminis XXII bene, Lachmanno adsentientes, etiam nunc multi scribunt « novei », in 7 autem « novi », cum « nove » num

(N[1] « novi »), ex quo « novei » depromunt, post « carte regie » sit in codicibus ? Recte scribi in c. LXVII ter « cui » (v. 9,21, 38), semel « quoi » (v. 47), in eodem versiculo, eo dico quo Furii inopia et sordes irridentur, modo « cui » (XXIII 1) modo « quoi » (XXIV 5), etiamsi statuamus Catullum « quoi » aliquando dixisse, ut omni abiecta dubitatione credam, equidem ab animo meo impetrare non possum. Ac patet de iis me loqui, quae aut varia sunt in codicibus aut, quadam interpretandi ratione inita, vera an falsa non refert, varia exstiterunt : non raro in eadem editione eadem vocabula scripta alio modo videmus, quod ex iisdem litteris idem depromere viri docti non curaverunt. Ut ex ipsa Schwabii editione aliquid excerpam, cur « nec » (G « ne »), quod est in c. LXVIII 103, factum est « nei », quod vero est in c. LXII 59 et in c. XCIX 9, « ne »? Aut cur « ne quidquam » (O) in c. LXIV 111 est « nequicquam », « ne-quid quam » (O), quod idem esse videtur, in c. VI 7 « nequidquam » ? praesertim cum alias ipso etiam O (LXIV 164, CXIV 4 « nec quicquam », LXV 17, LXXVII 1, CI 4 « nequicquam »), semper G aliisque libris, quo in numero sunt M B N[1], « nequicquam » commendetur.

Libros esse neglegendos, si plures unius vocabuli formas non vere adferri satis appareat, ne opus quidem est dicére. Quod habent codices, cum inscitia librariorum aut neglegentia manifesto deprehensa est, illi quidem debent retinere, qui typis libros exscribunt, non qui antiquorum scriptorum corruptam depravatamque orationem emendandi munus susceperunt. Cum ad eorum sententias et verba aliquid alieni falsique accessisse percepimus, nonne deflectimus a codicibus ? Itaque B. Schmidtium non laudo, in suis elegantissimis Prolegomenis (p. CVI) confitentem, se, ut fidem servaret libris, non omnibus locis « uo » vel « vo » pro « uu »

vel « vu » ponendum duxisse, cum tamen Catullum sic semper scripsisse sibi esset persuasum. Prudentis quidem est non modo verba, sed ipsas verborum litteras, quarum insint vestigia in libris, restituere: aliter veteribus scriptoribus non quae ipsi scripserunt, sed quae nobis placerent, ea tribueremus. Sed si forte verum contra ipsam codicum auctoritatem videmus, quid est quod desciscere a codicibus non audeamus? In verbis autem in quibus scribendi ratio aut ignoramus utrum ipsius scriptoris sit, an librariorum, aut e vestigiis conici debet non fixis sed leviter pressis, non certis sed dubiis omnino, nihil rectius eo praecipi potest, quod homines omnium elegantissimi et eruditissimi praecipere consueverunt, ut meminerimus Catullum, cum aetate tum sermonis suavitate Vergilio proximum, non decere vocabula, quae ruditatem redoleant et vetustatem. Quo praecepto nullum prorsus relinqui dubitationi locum, nemo prudens adfirmabit. Etenim si in verbum inciderimus, quod duobus modis recte scribi possit, ea autem sit condicio librorum, ex quibus nequaquam appareat utram scribendi rationem sequi oportere censeamus, quomodo nos tandem gerere debebimus? In vocabulis, quae supra attuli, quaedam esse, quae moveant dubitationem, plane perspicitur: sed, ut novis utar exemplis, scribemusne LXIII 34 « sequuntur » (G M N) an « secuntur » (O B)? LXIV 67 « adludebant » (O) an « alludebant » (N[1] « alluebant »)? M semper habet « posquam » (XI 23, L 14, LXIV 202, 267, 303, 397, LXVII 6, LXXXIV 11), Datanus aliquando (XI 23, LXIV 303, LXXXIV 11), si p̃, ut Sydowius censet (de rec. Cat. carm. p. 63), quem iure probat Schulzius, « pos » non « post » opus est interpretari, O etiam aliquando (XI 23, L 14, LXIV 202, 267), G B N[1], praeter multos alios codices, numquam. Nos vero, etiamsi « posquam » reprehendendum non videatur

(cf. Neu. II p. 971, Ritsch. Op. II 548, 772, Schulz. der Cod. M), utrum reliquis libris omissis atque neglectis, unum M approbantes, « posquam » omnibus locis ponemus, an ubi M cum D et O consentit, si iam hi consentiunt inter se? In quo cernitur non rem semper et rationem, interdum id valere debere, quod cuique probetur. Atque ego, ut de hoc « posquam » statim dicam quod sentio, « postquam » retineo. Hoc ipsum quod omnibus locis in M « posquam » reperitur (si qui libri Plauti Terentii Ciceronis Vergilii Ovidii Livii « posquam » habent [cf. Neu. ibid.], perraro tamen habent), me in suspicionem adducit. Vereor ne librarius, non exemplum sibi ante oculos positum diligentissime transcripserit, sed suae loquendi consuetudini indulserit. Atque hodie quoque aliquos audire possumus cum dicant « posquam » : certe ego ita dicentes multos audivi discipulos in scholis.

Si autem in re incerta ad vitandos errores uti nolumus iudicio nostro, videndum est ne hoc ipso interdum multo maiorem iniuriam veritati adferamus. Haec monenda olim censuit Ellisius (Ed. a. MDCCCLXXVIII, Praef. p. XV): « XLV 1 Veronensis codex videtur habuisse *Septimios*, *21 Septumius*, *23 Septimio*, quae omnia sic ut tradita sunt servavi, cum incertus essem, quid potius Catullus scripturus fuerit ». Atque ut ille, ita alii servaverunt. Omnes perprudenter: sed si satis compertum non habemus quomodo scripserit Catullus; hoc certe intellegimus in nomine proprio et in eodem carmine varie eum non scripsisse. Timuerunt illi quidem ne in Charybdim inciderent; sed inciderunt in Scyllam. Ego vero dimitto « Septumium », « Septimium » retineo. Si scribimus « celerrimus » IV 2, « disertissime » XLIX 1, « electissima » XXXVI 6, « facillimum » XXXVIII 4, « infima » LX 2, « insulsissimus » XVII 12, « intimo » LXI 177, « iocundissime » XIV 2, « lepidissima » LXXVIII

1, « lividissima » XVII 11, « maximus » CXV 7, « maxima » LXVIII 138, LXXXIII 2, « maximi » XVII 7, XXXIV 5, « maximum » LXVI 43, « maximas » XLIV 16, XLIX 4, « maxime » XVII 11, « minimum » XXXVIII 4, « minimo » XLIII 1, « optimus » XLIX 7, « optime » XXVIII 3, XXXIII 1, « optimo » XIV 15, « optima » LXI 228, « pessimus » XLIX 5,6, « pessima » XXXVI 9, « pessimi » XIV 23, XXXVI 6, « pessimae » LV 10, « plurimum » XLV 5, « plurimos » XXII 3, « plurima » LXVIII 140, 153, LXXXIII 1, « proximus » LXVI 94, « pulcherrima » LXIV 28, LXVIII 105, LXXXVI 5, « victima » LXIV 369, « viridissimo » XVII 14 (ob id ipsum LXXV 3 « optuma », quod in uno O est, nolim recipere), melius ex « septimo » quam ex « septumo », ut controversiam diiudicemus, quae est, ut ita dicam, inter amantissimos pueros Septimium et Septumium, coniecturam faciemus.

Scripsi Panormi Id. Aug. a. MDCCCXCIII.

I 1 libellum
Arido modo pumice expolitum.

Quamquam etiam nunc sunt qui legant « arida » (Vahlenus Ed. a. MDCCCLXXXV, Schmidtius Ed. a. MDCCCLXXXVII, Postgatius Ed. a. MDCCCLXXXIX), tamen cum et in omnibus codicibus et apud grammaticos, qui hunc adferunt versum (T. Maurus VI p. 401 K., M. Victorinus VI p. 148 K., Schol. Ver. ad Verg. Ecl. VI 1, C. Bassus VI p. 261 K.), « arido » reperiatur, « pumex » praeterea masculino genere sit (cf. Plaut. Aul. 297, Verg. Aen. XII 587, Mart. VIII 72,2, Plin. H. N. XXXVI 154), Servium quidem auctoritatis habere nihil existimo, adfirmantem (ad Aen. XII 587) Catullum « pumicem feminino (genere) dixisse ». Qua in re animadvertere licet non solum quod animadvertit Baehrensius, Servium Catullianos locos neglegentissime adferre solere, sed veri simile esse, eum in codicem corruptum incidisse. Etenim quis ignorat librarios et Ciceronis temporibus (cf. ad Q. fr. III, 6, 6) et Horatii (cf. A. P. 354) et Martialis (II, 3) et Gellii (1) denique semper litteras atque vocabula corrumpere consuesse? Quod si Pastrengicus, qui diem obiit a. circiter MCCCLX, « a-

(1) Quam multa sint in hoc genere apud Gellium memorabilia neminem fugit. Nihil tamen memorabilius videri potest, quam hic locus, quo confirmatur corruptos Catulli libros multo ante Servii aetatem plurimos fuisse: " Qui *ebriosa* autem Catullum dixisse putant aut *ebrioso*—nam id quoque temere scriptum invenitur — in libros scilicet de corruptis exemplaribus factos inciderunt " VI 20, 6.

rida » scripsit (Or. Rer. 88^b), cum in Isidori libris (Or. VI 12, 3), ex quo ille pendet totus, « arido » sit, nullius quidem negotii est putare quod Hauptius putavit (Op. I. p. 4) , Pastrengicum locum Isidori cum aliquo Catulli codice contulisse; sed aliae etiam esse possunt suspiciones , haec in primis , Pastrengicum male legisse, quod recte apud Isidorum esset scriptum. At quod Hauptius existimavit, id sit verum. Quo igitur Catulli libro usus est Pastrengicus ? Veronensi non crediderim, siquidem omnes codices « arido » habent. Uno ergo usus est ex illius exemplis. Quanta ei libro fides haberi debeat, qui ab eo codice discrepet, unde profectus sit, per se quisque intellegit. Sed aliud etiam conici potest—etsi considerans quid omnes ad unum de V iudicent viri docti, nescio an nemo id sit probaturus—,Catullianos codices non ad V, ad quoddam Veronensis exemplum esse revocandos, Pastrengicum autem ipsum V in manus sumpsisse. Ego tamen quaero, malene hic legerit an is qui illud exemplum descripsit. Itaque concludo Pastrengici auctoritatem nullo pacto esse adferendam.

7. Quare habe tibi quicquid hoc libelli Qualecumque.

Quomodo fieri potuerit ut librarii « tibi habe » scriberent, non « habe tibi », id, quoniam facile intellegitur, non explicabo. Si autem illud Plauti (Pers. 662) ***habe tibi centum minis*** in controversia versatur, non quod ante verbum solet esse pronomen (cf. Men. 690, Trin. 266, Amph. 928 , Aul. 233, Cic. Phil. II 28, 69), idcirco iure efficitur mendum in versiculum irrepsisse. Etenim non sine causa pronomen post verbum Catullus collocavit. Quod plane erit perspicuum, si cum hoc versu tertium comparabimus. Interroganti sibi, cui libellum donaret, sic ille responderat: « Corneli, tibi » : apte igitur et ad id

quod responderat congruenter conclusit: « quare habe tibi ». Atque eadem eiusdem verbi collocatio iam ipsa maxime est ad tollendas suspiciones accommodata. Catulli vero sententiam non illam esse puto: « habe tibi quicquid est et qualecumque est hoc libelli », sive « et » scribimus sive non scribimus; est, siquid video, haec: « habe tibi hunc parvum librum » (« hoc libelli » ad aliud nihil dictum esse nisi ad extenuandam rem omnes consentiunt), quicquid est, qualiscumque is est ». Scilicet idcirco Catullus libellum suum donavit Cornelio, quod hic eius nugas magni facere consuesset. Itaque iam ex ipsa Catulli sententia nugae erant in libello. At non omnes fortasse erant nugae, praesertim si liber (quae quidem quaestio neque huius temporis est neque loci) maiora etiam carmina, ea quae e Graecorum poetarum fontibus fluxissent, continebat: praeterea quae nugae videbantur Catullo, num eaedem Cornelio nugae videri debebant? Quamobrem Catullus controversiam non dirimit: sive nugae sunt sive non sunt (haec enim notio illi « quicquid » subiecta est), librum mittit ad Cornelium. Hinc multa colligi possunt: nec ipsum « quicquid » esse, ut Baehrensius censet, emendandum, nec « qualecumque », ut Vahlenus Schmidtius alii opinantur, cum versiculi 9 sententia coniungendum, nec quicquam post versum 8, id quod Lachmannus et Hauptius suspicati sunt, excidisse. Nunc eorum sententiam videamus, qui « est », quo vocabulo codices carent, addendum arbitrantur. Quod abesse posse non infitiabor, idem multo esse melius scribere, omnes intellegunt. Huc accedit quod « quicquid » Catullus aut cum hoc verbo (cf. XXXI 14, XXXVII 4, XXXIX 6) aut cum alio conectit (cf. VI 15, LVI 3). Quod idem facit Martialis («est» reperitur in III 1, 1. VI 68, 11, aliud verbum in Sp. lib. 5,4. 21,1. 28,9, et in libb. epig. I 68,1. 105,4. II 41,17. 88,2. III 46,12. 61,1. IV 28,6. VI 29,8. VII 20,17.

37,1. 31,9. IX 1, 10. 3,4. 27,7. 47,2. 59,18. X 16,3-8. 34,1. 36,1. 92,18. 96,13. XI 2,4. 6,7. 24,3. 86,4. XII 15,1. 18,15), cuius auctoritas, ut imitatoris Catulli, valere quidem hac in re debet, eoque magis quod, cum apud eum «quicquid», sicut apud Catullum, omnibus locis una cum verbo sit, «qualecumque», ut in hoc carmine, est sine verbo (cf. VII 26, 3. *Hoc, qualecumque, cuius aliqua pars ipse est, Dabis*). Sed tamen «est» pro «hoc» esse reponendum, id quod post Ed. pr. nonnulli et his temporibus etiam Pleitnerus (Studien zu Catullus p. 101) voluerunt, non possum concedere, si «hoc libelli» non «quicquid libelli» interpretari debemus. Itaque Scaligerum, qui, «hoc» servato, «est» in extremo versiculo octavo addidit, sequemur. Extrema versiculorum verba non raro in codicibus deesse et omnes sciunt et aliquot cernitur Catulli locis (cf. XXX 7, LV 11, LXIII 78, XCV 9). Quid autem facilius quam «est», quod aut non omnibus litteris aut per notam illam Tironianam frequentissime scribatur, potest perire? Ac vix dicendum arbitror me existimare «libelli est» non, ut alii malunt, «libellist» restitui oportere: etsi non ea ignoro quae Lachmannus ad Lucr. I 993 doctissime disputavit.

9 **quod, o patrona virgo,**
Plus uno maneat perenne saeclo.

Iis omissis, qui versus 9 et 10 Catulli esse negaverunt (Handius, Obs. Cr. p. 17, qui in Quaest. Cat. a. MDCCCXLIX editis de sua sententia decessit, Huschkius, C. V. Catulli carmina priora sex p. 63, Pfeifferus Symb. Cat. p. 26), et iis qui cum post «qualecumque quidem» (sic enim legunt Datani auctoritate freti) tum ante «patrona virgo» dimidium versum excidisse arbitrantur (Lachm. et Haupt., qui etiam post v. 8, ut suspicatus erat Statius, versiculum perisse censent, Rossb.), si illorum senten-

tiam sequimur, qui hunc locum habent corruptum, nullius plane virginis auxilium Catullus petit, sed Cornelii Nepotis. Itaque protulit Handius (Qu.Cat.p.4) id quod iam anno MDCVI R. Eglinus (Catulli carmina casta) invenerat, « patrone, per te », Bergkius (Philol. XII) « quidem est patroni ut ergo », quod probat Munro, qui tamen et « est » delet et « patronei » scribit, Froehnerus (Rhein. Mus. XIII), cui obsecutus est Schmidtius, « qualecumque tuo, patrone, verbo », Harneckerus (N. Jahrbb. 1883) « tua, patrone, voce », Cumpfeius (Listy philolog. a paedagog. 1883) « o patrone vere », Riesius (Berlin. Philolog. Wochenschr. 1885) « tua, patrone, cura ». Melius, paene dicam, Pontanus, qui omnium patronorum et patronarum ope amota, tamquam si manendi verbum idem esset quod volandi, « per ora virorum » (1) coniecit. Etenim quid sit cur statuamus Catullum, de immortalitate libelli sui cogitantem, Cornelii auxilium requirere debuisse, minime apparet. Ita, opinor, res se habet. Catullus ad Cornelium librum, qualiscumque is est, mittit, idemque, ut liber ad posteritatem perveniat, cuiusdam opem implorat. Si eam opem implorat, qua quod expetit consequi possit, quid est quod improbemus? Cuius igitur praesidium postulet, mox videbimus: nunc illud dico quae Munro (Criticisms and Elucidations of Catullus p. 5) et Schmidtius ex quibusdam poematis excerpta attulerunt (Mart. III, 2, praef. lib. VIII ad Domit., Stat. Silv. praef. lib. II, Auson. XXIII, XXVI, XXVII, Schenkl), ea nullo pacto ad id demonstrandum valere, quod illi volunt demonstrare, Catullum « non de deae alicuius, sed de Nepotis prae-

(1) " Iovianus Pontanus, scriba regius et alii, teste Palladio et Perrei., emendarunt: *qualecumque per ora quod virorum*; Aldinae et cum iis aliae receperunt hanc correctionem ita, *qualecumque quidem ora per virorum*. Lucas Fruterius (in verisimil. II c. ult.) eodem fere modo correxit, *per ora vulgi* „. Hand. Obs. cr. p. 16. 15.

sidio locutum esse». Inter hunc enim ceterosque poetas, qui non semper versibus, sed soluta oratione saepius utuntur (nam ne id quidem neglegi debet) magnum esse discrimen praeclare intellegitur. Ille immortalitatem apertissime exposcit, quam nemo umquam patronus concessit: Martialis (III 2) et Ausonius (XXIII, XXVII) hoc volunt cavere, ne ipsi reprehendantur in praesens, neve sua carmina statim oblivione deleantur. Statius enim qui ita scribit Meliori suo: « *Haec qualiacumque sunt, si tibi non displicuerint, a te publicum accipiant; si minus, ad me revertantur*», omnino est ab hoc sermone removendus (1). Quod si Martialis dicit Domitiano, libellis eum suis omnibus « famam dedisse », ob eamque ipsam rem sane fore, ut hi legantur, videamus ne humilis et obscuri hominis verba, potentissimo imperatori blandientis, perinde accipiantur ac si ex ingenuo liberoque animo profecta sint. Itaque Martialis et Ausonius hac certe in re a Catulli carmine oculos deiecerunt. Quod maxime cernitur in Ausonio, qui cum primum Catulli versum sumpsisset versusque, ut ita dicam, Catullianos facere conaretur, in extremo tamen carmine non Catulli imitatorem se praebuit, sed Martialis: cf. *Hic* (*Pacatus*) *vos* (*versus*) *diligere, hic volet tueri; Ignoscenda teget, probata tradet. Post hunc iudicium timete nullum.* Aus. XXIII. *Faustini fugis in sinum? sapisti. Cedro nunc licet ambules perunctus Et frontis gemino decens honore Pictis luxurieris umbilicis, Et te purpura delicata velet Et cocco rubeat superbus index.* ILLO VINDICE NEC PROBUM TIMETO. Mart. III, 2.

(1) Idcirco pro nihilo habui tertium Ausonii testimonium (*cum agis nihil, haec legas et, ne nihil agas, defendas*), quod idem his quae sequuntur: *quem* (*libellum*) *tu aut ut Aesculapius redintegrabis ad vitam, aut ut Plato iuvante Vulcano liberabis infamia, si pervenire non debet ad famam*, quaeque Statianis verbis non sunt admodum dissimilia, plane declaratur.

Iam illud quaeremus, eam patronam Catullus precetur necne, a qua quod optat impetrare possit. Ut Parthenium praetermittam, qui Lesbiam ipsam intellexit, Sabellicum, qui Dianam, Vossium, qui Vestam (hi omnes « patroa » legi iusserunt), maxima doctorum hominum pars patrona virgine aut Musam designari interpetrati sunt aut Minervam. Musa est ab hac quaestione, ut arbitror, aliena. Quamquam *scriptores ac poetae sub clientela Musarum* sunt (Suet. Gramm. 6), tamen Catullus ad immortalitatem consequendam Musam rogavit nullam. Cum scripturus erat et conscribebat libellum, tum ille quidem rogare debebat, non post conscriptum et in lucem prolatum. Ne cui desint roganti, facere sane possunt Musae, ut is perfectum quiddam atque absolutum litteris mandet; qui, libro confecto, earum opem petit nequicquam. Num id est Musarum praesidium, ut qui homo, qui liber dignus sit qui oblivione obruatur, idem vindicetur ab oblivione ? Quapropter quod defendit Pleitnerus, St. p. 101, homines, adiuvantibus Musis, immortalitatem adipisci, id nihil ad rem. Catullus quidem Musas quodammodo precatur, ne suum de Allii laudibus carmen ex hominum memoria excidere patiantur (cf. LXVIII 46), sed tamen in exordio. Neque illud praetereundum censeo, in libello Catulliano de Musa nusquam, omnibus locis de Musis fieri mentionem (cf. LXV 3, LXVIII 7, 10. 41, CV 2): versiculi enim 16-17 carminis XXXV, cum res disiunctissima sit maximeque diversa, non sunt adferendi. Minervam autem recte Catullus implorat, non quod illa faveat poetis (*Mille dea est operum, certe dea carminis illa est*, Ov. Fast. III 833), nam quae in Musam cadunt, eadem caderent in Minervam; sed ob id quod Scaliger, etsi quae de restituendo « patrima » docuit, perverse docuit, primus perspexit, quia patrona erat librorum et, ut etiam ex versu Iuvenalis ab ipso Scaligero allato percipi potest (*Hic libros dabit et forulos mediamque Minervam* III 219),

praeerat bibliothecis. Quid magis erit consentaneum quam petere a dea, in cuius tutela sint libri, ut nuper confectum librum accipiat diuque servet? Nec recte quidam opponunt, Catullum, si Minervam significare voluisset, pluribus verbis et aliquanto clarius significaturum fuisse. Non est eius, si, quas res narret, eas ipse aut animo aut oculis videat et cernat, multis verbis explicare. Quod cum ex aliis locis tum ex versiculo 46 carminis LXVIII colligitur, ubi Musae nullo alio nisi dearum nomine indicantur, idque quo tempore invitantur ad audiendum, cum earum mos sit res narrare et ea quae fuerunt in memoriam hominum redigere. Sed hic, quod maximum est, locus pluribus verbis erat nullus. Sciebat Cornelius, sciebant ii qui carmina lecturi erant, librorum patronam esse Minervam: num periculum esse poterat ne quis, flagitante Catullo, ut in omne tempus suus viveret libellus, aliam intellegeret deam? Itaque, eo enim iam revertor, unde profectus sum, quoniam « patrona virgo » nullam habet reprehensionem, ne verbum quidem est de patrono faciendum. Nihil obstat, ut vidimus, quominus a Cornelio amico ad Minervam patronam Catullus commode transeat: sed si quaerere volumus, quam ad eam transeundi possit causam habere, equidem hanc ego puto, quod, cum ex altera parte modeste et verecunde libellum donet Cornelio, ex altera intellegi velit, eundem, quippe qui talis sit, quem Minerva suscipiat et tueatur, aliquid esse. Itaque de huius versiculi verbis ii verissime iudicaverunt, qui nihil aliud faciendum esse duxerunt, nisi « o », quod iam habet codex Cuiacianus, post « quod » addendum. Quae littera aut periit propter « O » et « D » litterarum similitudinem, aut, cum supra illud « patrona » ad casum, ut aiunt, vocativum significandum esset scripta, quae est etiam Schulzii opinio (der Cod. M), ab eo, qui V aut antiquiorem librum descripsit, neglecta est.

II Passer deliciae meae puellae
Quicum ludere, quem in sinu tenere,
Cui primum digitum dare adpetenti
Et acris solet incitare morsus.
Cum desiderio meo nitenti
Carum nescio quid libet iocari
Et solaciolum sui doloris
Credo ut cum gravis acquiescet ardor.

Versiculum 7 collocandum putant Statius post v. 1, N. Heinsius, qui ut totum hunc locum corrumpit, sic pro « credo » vult « corde », et Munro, qui non « et », sed « sit » scribit, post v. 8: Tartara vero ut adulterinum deleri oportere arbitratur. Sunt etiam qui ante v. 8 (Spengelius) aut post (Rossbachius) aliquid perisse existiment. Maxima tamen doctorum pars aliud nihil hic videt, nisi verborum et litterarum corruptionem. Sed quanta est opinionum varietas! In versu 7 pro « et », quam particulam multi post Lachmannum etiam nunc tuentur, legunt « ut », quod est in margine editionis Vicetinae anni MCCCCLXXXI et in Aldina I, non solum A. Guarinus Muretus Statius Scaliger Marcilius, qui « siet », deleto « sui », restituendum censet, Vulpius, sed etiam Muellerus et Riesius, « es » Iacobsius et Harneckerus (Pr. 1879 p. 4), « est » Handius (Obs. Cr. p. 25 *) Rossbergius (N. Jahrbb. 1877) Schoellius (N. Jahrbb. 1880), « in », iam a nostris inventum, Doeringius, qui « ad » non minus probat, Huschkius Pleitnerus Tartara, cui « et » etiam placet, « te » G.

*) Observationes, quas Handius foras dedit anno MDCCCIX, iterum emissae sunt anno MDCCCXX Londini una cum Catulli carminibus a Doeringio illustratis. Ego usus sum uno de exemplis eo anno editis.

Meyerus (1), « tu », quod iam excogitaverat Heinsius, Hermesius (Pr. 1889), qui praeterea « mei » pro « sui » substituit. In v. 8, ut omittam eos qui « credo ut » (« credunt » Scalig., « cordi est » Palmerius, Hermath. VI) aut « credo ut cum » (« utcumque est » Ellis.) aut « acquiescit » (« aggravescit » Froelichius) mutant, legendum existimant non « ut cum », sed « ut tum », a B. Guarino allatum ac Mureto et Statio probatum, Doeringius Handius Heysius Rossbergius, Harneckerus Riesius Schwabius, « et tum » Schoellius, « tum » Westphalius et Baehrensius, « dum » Verburgius et Huschkius, « ut » Vossius et Vulpius, « uti » Schraderus Hauptius Vahlenus Schmidtius Iacobyus (Anthol., 1893), « ut iam » Muellerus, « iam » Hermesius, « et quo » Postgatius: qui, exceptis Westphalio Harneckero Schoellio Baehrensio Hermesio, « acquiescat », ut scribendum duxit B. Guarinus, scribunt. Alii praeterea parenthesis signis includunt versum 7 et 8 (Doer. Rossberg.) alii v. 8 (Ries. Harneck. Schw. Baehr.); cum plerisque nihil includi opus esse videatur. Ipsa interpungendi ratio non est eadem apud omnes. Nam ut multi a 1 ad 10 versum unam esse verborum comprehensionem constituunt, ita ii sunt, qui post v. 6 aut post 7 aut post 8 punctum ponant. Versus esse corruptos, equidem negare non possum. Etenim si sic verba iungimus: libet iocari nescio quid carum et solaciolum (= quod sit solaciolum) sui doloris (cf. Ellis. Comm.), profecto non obicietur, quod Lachmanno « solaciolum » et nominati-

(1) Meyerus (Sitzungsber. d. philosophisch - philologisch. class. d. Akad. der. Wissensch. zu München, 1889) " et „ tantummodo immutat, sed quis putabit hanc esse Catulli sententiam, hoc dicendi genus? " Passer, credo te iocari carum nescio quidlibet cum desiderio meo nitenti, (te, qui es) solaciolum sui doloris, ut cum (= quippe cum = quia tum) gravis dolor adquiescat „.

vum esse et ad illud « libet » pertinere existimanti quidam obiecerunt (cf. Ellis.), rem a Latini sermonis consuetudine omnino abhorrere; sed ipsa verborum collocatio admodum displicet et quam apte versiculus 8 cum v. 7 cohaereat, non reperio. Omnia tamen diligenter expendenti ne una quidem ex coniecturis, quae factae sunt non dico ad emendandos versus 7 et 8 (quos, si separatim considero, iam multi emendaverunt) sed ad eam obscuritatis latebram tollendam, in qua inclusae sunt sententiae, fieri potest ut probetur. In nonnullis (alia enim incommoda persequi nolo) id dicitur, quod dicere sit supervacaneum. Etenim, quoniam Lesbia ob eam rem cum passere ludit, ut sui animi dolorem consoletur, quid attinet dicere, et, quod neglegere non debemus, interposito « credo », eam ludere ut gravis ardor vel dolor, nam idem est, sicut mox videbimus, adquiescat? Alienam sententiam fortasse in medium non proferrent ii qui « ut tum » coniciunt, si, ut « acquiescat » scribunt, sic, id quod per litteras non licet, sublato « credo », saltem » in versiculum 8 inducerent. Quem hoc modo restitui posse arbitror:

Credo, et cum gravis adquiescit ardor.

Eundem ita esse restituendum Ellisius quondam censuerat; sed, cum in versiculo 7 nihil immutaret, praeterea sic interpretaretur: *quom desiderio meo libet nescio quid iocari*, SIVE *ut dolorem suum soletur* SIVE *quom amoris ardor iam acquiescit*, nec omnia probanda erant nec sunt probata (cf. Tartar. p. 7). Ego vero puto, detracto « et », « in » vel « ut » (veri simillimum est librarium in v. 7 « et » pro « ut », in 8 « ut » pro « et » scripsisse, sed « in » commendatur elegantia sermonis, cf. Cic. Verr. V 11, 28 *non nullae* [*mulieres*] *ex eo numero in convivium adhibe-*

bantur palam, Rab. Post. XII 34 *regem ad se scripsisse nullam pecuniam Gabinio nisi in rem militarem datam*), reponi oportere. Catullus igitur dicit Lesbiam cum passerculo suo ludere et cum suaviter iocari velit, ut, si quo dolore adficiatur, se ipsa soletur, et cum nullo adficiatur dolore. Nec mihi credibile videtur, Catullum se Lesbiae causam doloris existimare. Num veri simile est illum arbitrari Lesbiam, amore ardentem, vehementissimam animi cupiditatem lusu passeris comprimere atque restinguere posse? Nemini mirum erit Catullum magnam voluptatem capturum, si cum passere Lesbiae possit ludere, propterea quod cum hoc ludere et ipsam Lesbiam videre atque audire, ut perspicue intellectum est (cf. Tart. p. 15, Ell.), eadem plane res est: sed Lesbia, cum appetenti passerculo digitum porrigit atque intendit, num videt, num audit Catullum? Itaque eorum sententiam reicio (Munr. Palm. [Ermath. VI] Iacob. A. p. 78), qui ardorem iudicant a dolore differre. « Ardor » et « dolor » inter se non differunt. Cum hoc tum illud verbum nihil aliud hic significat nisi quod est contrarium voluptatis (cf. Lucr. III 251 *Sive voluptas est sive est contrarius ardor*). Scilicet Catullus non singillatim de amore loquitur, sed generatim et universe de aegritudine animi. In quo non est praetereundum, Tartaram plurimos scriptorum collegisse locos, ut demonstraret nomen ardoris, sine genetivo quo, qui ardor intellegendus esset, declararetur, nisi res iam ipsa loqueretur, illa Ciceronis aetate amorem numquam designasse. Atque sic existimo Catullum ideo de Lesbiae dolore mentionem fecisse, ut de dolore suo (qua in re valde sunt consideranda verba illa « sicut ipsa ») facere posset. Non aperte eum loqui, sed tecte, quis est quin videat? Si quid ipse sentiret, statim percipi potius quam conici voluisset, non ludendi cum passere, sed spectandae audiendaeque Lesbiae (cf. c.

LI 4) cupiditate se flagrare patefecisset. Atque ob eam rem Catullum de Lesbiae dolore mentionem fecisse ut de animi sui curis faceret, hoc cernitur, ut puto, quod non de Lesbia dolente solum verba facit, sed de Lesbia etiam non dolente. Aio Catullum addidisse « et cum gravis acquiescit ardor », quod eam dolore quodam cruciari compertum non haberet. Quod si ita est, et illius « credo » vim facile intellegemus et ea quae ad animum Lesbiae omni liberum cura et angore spectant, a reliqua oratione parenthesis signis seiungemus. Etenim Catullus quasi non id dixisset, quod liceret dicere, ipse se quodammodo corrigit. Nec mihi sic existimanti obici debet, cum nomine ardoris adiectivum « gravis » coniunctum esse: quandoquidem videmus Catullum, si quem aut motum aut statum animi verbis exprimat, oratione aliquo colore picta saepe uti. Atque hoc etiam animadvertendum est, apud Ciceronem et ad dolorem significandum nonnumquam ardendi verbum adhiberi aut faces nominari (cf. Verr. II, 38, 92 *dolore ardere coepit*, Mil. VII 16 *quis non arsit dolore*, Fin V. 31, 94 *cum arderet podagrae doloribus*, Tusc. V 27, 76 *is (dolor) ardentes faces intentat*, Tusc. II, 25 61 *quasi faces ei dolores admoverentur*, Off. II, 10, 37 *dolorum cum admoventur faces praeter modum plerique exterrentur*) et adiectivum « gravis » cum doloris nomine non raro iungi (cf. Planc. 18, 46 *dolor gravissimus*, Verr. V 45, 119 *multi et graves dolores*, Tusc. IV 17, 40, V 10 29 *dolores graves corporis*, Fin. II 7, 22. 29, 95 *si (dolor) gravis, brevis*. Sed ea quae dixi iis quae dicturus sum magis declarabuntur.

9 Tecum ludere sicut ipsa possem
Et tristis animi levare curas!
Tam gratum est mihi quam ferunt puellae

Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluit diu ligatam.

Versum 10 cum 11 non apte cohaerere omnium fere est opinio. Alii aliquid desiderari putant (Lachm. Haupt. Muell. Ries. Postg.) alii adseverant et versiculo 10 carmini finem constitui oportere et versus 11-13 ad aliud sane carmen pertinere. Hoc autem nonnulli etiamnunc esse arbitrantur (Froel. Pleit. Klotz. Weis. Baeher. (1) alii), multi perisse. Qui negant versus 11-13 cum carmine II esse conexos, ii a vero absunt, non quod in libello Catulliano proprium eorum locum nacti non sint (etenim si, ut quidam credunt, reliquiae poematis quod perierit ad nos pervenerunt, nullus harum locus poterat reperiri), nec quod Catullus aliorum etiam carminum postremos versus aliqua similitudine ornaverit (cf. c. XI, XVII, XXV, XLVIII, LXV); siquidem plurima carmina hoc ornamento carere videmus. Non recte statuitur versus 11-13 esse a versibus 1-10 alienos, quia nullum invenitur argumentum, quo id possit demonstrari. Quin etiam, cum sint qui existiment carmen optime concludi, si versu 10 concludatur, ego nullo pacto adducor ut putem Catullo, qui octo versiculis passerem allocutus esset, ad suum ipsius animum sensumque aperiendum duos satis fuisse.

Venio ad lacunam. A. Guarinus ad versum 10 haec monuit: «Post hoc carmen in codice antiquissimo et manu scripto ingens sequitur fragmentum», Perreius, quem in medium protulit Lachmannus, haec: «in v. c. spatium est hic longum, post quod sequitur:

(1) Versus 11-13 huius carminis collocat post versum 15 carminis III Weisius (Pr. 1863), ante v. 24 c. XIV Baehrensius, post v. 26 eiusdem c. XIV Pleitnerus (Hochzeitges. p. 90.) et Klotzius (Em. Cat. p. 14), post v. 8 c. XXXVIII Froelichius.

Tam gratum mihi ». Quoniam, sicut omnes sciunt, carmen idem est quod versus, fragmentum idem quod lacuna, Guarino et Perreio testibus, aut potius teste Guarino, nam ex eo totum pendere Perreium facilis est coniectura (1), antiquissimus liber adferri potest cur multos hic versus perisse dicamus. Verum tamen sententiarum ambitum diligenter expendentibus atque illud considerantibus Catullum non solere, certe in iis carminibus quae a Graecorum imitatione distent, progredi longius, minime videri potest, multorum versuum factam hic esse iacturam. Quam non esse uno versiculo maiorem Lachmannus Hauptius Frohenerus Ellisius iudicaverunt. Ex quo efficitur Guarinianum librum nihil apud quemquam auctoritatis habere debere, cum praesertim apertum sit in V ne unius quidem versiculi intervallum fuisse. Non defendam propter illud Martialis *luxuria est, si tanti dives amares* (II 63,3), id quod alii fecerunt, indicativi (est) et coniunctivi (possem) coniunctionem, nec contendam, « id » pro « est » scripto, ut putavit Muretus, vel « est » omnino deleto, ut visum est Doeringio et Handio, Obs. p. 26 (iam Scaliger « est », quod non in omnibus codicibus reperitur et desideratur in Aldina I, deleverat, ut postea reiecerunt Silligius et Pohlius, Spec. I p. 25), « foret » esse intellegendum. Ipsum « possem », ut iudico, est leviter emendandum. Quod non ii emendaverunt qui

(1) Th. Heysius (Catull's Buch der Lieder) de variis lectionibus loquens, quas in marginibus quorundam exemplorum praeclararum editionum (Rhegiensis a. MCCCCLXXI, Vicetinae a. MCCCCLXXXIII, Aldinae I) sua manu scripserunt Fr. Puccius, A. Scarpinella, B. Pisanus, A. Coloccius, haec docet : " Noch weiter angeschwellt, noch vielartiger und gemischter zeigt sich die Sammlung in der Redaction des Ant. Perrejus 1525 „ p. 292. Guarinus autem suas " in C. V. Catullum Veronensem per Baptistam patrem emendatum expositiones „ Venetiis edidit a. MDXXI.

«possim» (Verburg. Huschk. Baehr.) nec ii qui «posse» (Voss. Vulp.) attulerunt, multo autem minus Hermesius (Pr. 1889), qui cum «passer» pro «possem» scribit (hic versiculos 6-7 carminis III, et quidem maxime corruptos, ad hoc carmen post ultimum versum addidit), tum «ludere» et «gratum est» iungit. Oportet «possum», mea quidem sententia, restituere. Non igitur interpretari debemus, Catullum id optare, quod numquam sit impetraturus, sed gaudio perfundi, quia quod vehementer optasset, tandem impetraverit. Apertius dicam: Lesbiae domus Catullo antea clausa iam patet. Nec mirandum est quod apud Allium aliquanto post is Lesbiam conveniebat. Poterat Catullus Lesbiae domum ille quidem ingredi, tum certe cum mulier viro in suspicionem nondum venerat, in hac ipsa domo amori ac voluptatibus indulgere non poterat. Nec Atalantae similitudine ad rem accommodatius quicquam invenio. Quemadmodum Atalanta Hippomeni eximia pulchritudine adulescenti, quia quod pomum is iecisset, in currendo accepisset, nubere potuit; sic Catullus, quod ludendi cum passere consecutus sit facultatem, sperat et confidit se amatorem Lesbiae futurum, ex eoque amore maximam capturum voluptatem. Hic igitur tantam ex passere laetitiam percipit, quantam olim ex pomo Atalanta. Atque etiam ob hanc potissimum causam Catullus Atalantae mentionem fecisse mihi videtur, ut qua spe ipse et cupiditate esset inflammatus (verba illa «quae soluit zonam diu ligatam» num obscura esse poterant?) Lesbiam edoceret. In carmine LI suum amorem iisdem verbis expresserat, quae ex incenso atque incitato Sapphus animo essent profecta; sed subito sive ei in mentem venit admirabilem esse ac paene divinam Lesbiae pulchritudinem (hominibus enim adulescentibus, qui ea sunt mollitia animi, qua fuit Catullus, tollit spem non inicit puella-

rum a quibus amari se cupiant pulchritudo), sive cogitavit Lesbiam ut nuptam amantium hominum preces repudiare omnes debere, sive ob utramque causam, sive ob aliam, sibi hunc amorem exprobrat, quippe qui ex eo otio natus sit, quod non singulos modo homines, sed opulentissimas civitates, maximos reges in ultimum discrimen adducere consuesset. Hic ipsa fortuna, quam arripuit et in manu iam tenet, cautus providusque factus, aperte loqui non audet; ita tamen loquitur, ut aperte ostendat nullum sibi esse dubium, quin quod consequi cupiat, sit consecuturus. Sed « possum » ideo etiam fortasse recte emendatum debet videri, quod quae in Lesbiam ludentem cadunt, potius ab eo homine dicuntur qui in domum illius pedem intulerit, quam ab eo qui non intulerit. Quod si « gratum est » nullo cum pronomine (id, hoc) coniunctum reperitur, hoc ex eo nascitur, quod Catulli animus, immoderata laetitia exsultans, id quo beatum se esse sentit, ita cernit atque intuitur, nullo ut verbo designandum existimet. Perfacile autem fieri potuisse ut « possem » pro « possum » scriberetur, et ipsi perspicimus et complures declarant loci. Ut alia omittam, T habet LXII 24 « credelius » pro « crudelius », 49 « et » pro « ut », omnes fere libri XVII 1 « ledere » pro « ludere », XLIV 8 « vertur » pro « venter » (v. s. p. 22), XLVIII 4 « sater », pro « satur », CXIV 6 « saltem » pro « saltum ».

III 16 O factum male! o miselle passer!

Sic puto legendum, etsi haud scio an his diebus sic legat unus Riesius. Hoc tamen modo scriptus est hic versiculus ut in aliquot codicibus, ita apud omnes fere editores, qui fuerunt ante Lachmannum. Ceteri aut in posteriore versiculi parte ex ipsius Lachmanni sententia

« io » ponunt (Haupt. Vestph. Muell. Rossb. Vahl. Schw. Baehr. Schm. Iacob.), aut cum in hac tum in priore « vae » scribunt (Ell. Postg.), quod coniecit Meleager (vae pusille); nisi quod Froelichius in utraque parte « proh » (iam B. Guarinus « pro miselle ») restituendum duxit. Omisso « wae » (quod qui defendere volunt non bene Martialis auctoritate nituntur, *Vae, glabraria, vae tibi, misella* dicentis [IV 28, 7], quia « glabraria » est quidem vocativus, sed utrumque « vae » ad dativum [« tibi »] pertinet), si litteras spectabimus, « io » et « o » (ex « proh » [aut potius « pro »] et « miselle » inter se, tamquam si unum verbum esset, coniunctis non « bonus ille », quod habent codices, elicitur, sed « pronus ille ») aeque laudabimus. Nam et si « io » scribimus, tot litterarum ductus, persequi possumus (io mis) quot « bonus » habet, et quoniam « o mis » idem est atque « onus », nihil tam facile quam « bonus » intellegitur, praesertim cum « male » sit in eodem versiculo. Ego vero « io » reicio, non solum quod Catullus dissimiles interiectiones, quas vocant, in eodem versiculo ponere non consuevit (cf. Ries.), sed etiam quia, si dolorem, quo ille cruciatur, bene interpretor, alter questus alterum non statim sequitur, sed brevi quodam spatio interiecto. Scribamus « io »: ea coeuntibus litteris vel, quod idem est, per synaloepham erunt coniuncta, quae Catullus, ut arbitror, interposito quasi singultu seiunxit. Itaque si hiatus Vergiliani, qui sunt in secunda Ecloga (v. 53) et in primo Aeneidos libro (v. 405) idcirco a doctis non repudiantur, cum tamen in priore vocali non sublatio vocis fiat, sed positio, quod binas sententias, ut ita dicam, separent, sic ego statuo et iudico, id quo existimandum sit, hoc loco hiatum retineri oportere, non plane deesse. Nec multum dissimilis videtur illius hiatus ratio, qui est in versiculo 2 carminis XXXVIII. Atque illud iam nunc confiteor, me hiatus Catullianos non ita extime-

scere, ut ad eosdem evitandos ea moliri et arripere velim, quibus subtilitas et simplex veritas iniuriam patiatur.—At Catulli hiatus non omnes ii sunt, qui aliorum poetarum confirmentur exemplis. Quid est quod apud Catullum, qui in iis quae ad numeros et metra pertinent non eam semper sequatur viam, quam secuti sunt poetae qui post fuerunt, is vocalium concursus reperiri non possit, cuius apud posteriores nullum exstet exemplum? Atque haud scio an non inutile sit dicere non Catullianis solum hiatibus doctorum et indoctorum iudicium adversari. In hoc ipso carmine III hiatus Catulli Horatii hiatu non confirmatur, propterea quod *male ominatis* (C. III 14, 11) aut esse perverse scriptum (*maleominatis* scribendum duxit Kellerus) aut omnino corruptum (*male inominatis* legit Bentleius, cui adsensi sunt Hauptius Meinekius alii) est doctorum hominum opinio. Quod si in *Latina lingua*, ut ait Cicero, *nemo tam rusticus est qui vocales nolit coniungere* (Or. XLIV 150), *nonnumquam hiulca*, ut ait Quintilianus, *etíam decent, faciuntque ampliora quaedam* (Inst. Or. IX 4,36). Et si Cicero illud praecipit oratori, ut *verba etiam verbis quasi coagmentare neglegat: habet enim ille tamquam hiatus et concursus vocalium molle quiddam et quod indicet non ingratam neglegentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis* (Or. XXIII 77), cur apud poetam, nec ob ullam diligentem neglegentiam, sed quia, ut ita dicam, res, quia animi hiant, non bene hiabunt voces (1)?

(1) Quoniam causam hiatus, qui est in hoc carmine, ex singultibus petivi, hunc Plauti versiculum adfero (Mil. 1322): Ph. *Ó mi ocule, ó mi anime.* Pa. *Óbsecro, tene múlierem,* ubi in quattuor hiatus incidimus, quos etiam Henr. Cocchia (M. Acci Plauti Miles Gloriosus ediz. critica, 1893) singultibus tribuit, qui inter verba interpositi sunt Philocomasii. Ad Plauti autem auctoritatem ob eam rem me contuli, quod is, cuius sermo hiatibus abundat, non raro est scri-

IV 15 ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine,
Tuo imbuisse palmulas in aequore,
Et inde tot per impotentia freta
Erum tulisse
22 Neque ulla vota litoralibus diis
Sibi esse facta, cum veniret a mari
Novissime hunc ad usque limpidum lacum.

Quamquam in ipsis Catulli codicibus « e » pro « o » saepe est, ac Pontus Euxinus « terrarum pars paene novissima » appellatur (Ov. Trist. III 13,27), praeterea apud Tacitum « novissimum mare » A. II 24, et « novissimi maris » Ag. X invenimus (Catullianum « novissimo casu » LX 4, cum non id significetur quod sit spatio longinquum, omnino alienum existimo), prorsus non puto necesse esse in versiculo 24 adiectivum pro adverbio ponere, ut pauci quondam fecerunt, deteriores codices editionemque a. MCCCCLXXIII secuti (Muret. Scalig. Voss. Doer.), et nunc, repugnantibus Lachmanno Hauptio Munrone, faciunt multi. Profecto phaselus non ideo dicit « novissime », quod ultimam itineris partem, eam quae ab Hadriatico mari initium capere videtur, ut Munro arbitratur (p. 16 et 22), designet. Cum hoc enim iter neque longum sit neque periculosum, illud in promptu est obicere, quod obiectum esse scimus (cf. Baehr.), iniuria phaselum gloriari, quod vota litoralibus dis nulla fecerit. Qui non de tertia itineris parte, de toto itinere loquitur. « Novissime » non est « postremo » (*last of all*), est « nu-

benti Catullo ante oculos versatus. Quamquam omnibus temporibus multi et docti homines variis modis etiam Plautinos hiatus tollere conati sunt

per ». Idem verbum atque idem significans, etsi de eius Latinitate propter Gellii (X 21) auctoritatem dubitatum est, reperitur apud Sallustium (Cat. *XXXIII 2 3 Saepe maiores vostrum, miseriti plebis Romanae, decretis suis inopiae eius opitulati sunt*, ac NOVISSUME MEMORIA NOSTRA *propter magnitudinem aeris alieni, volentibus omnibus bonis argentum aere solutum est*, Iug. *X 2 ut alia magna et egregia tua omittam*, NOVISSUME *rediens Numantia, meque regnumque meum gloria honoravisti* , XIX 7 *bello Iugurthino pleraque ex Punicis oppida et finis Carthaginiensium, quos* NOVISSUME *habuerant, pop. R. per magistratus administrabat*). Phaselus igitur postquam, relicta silva, naturam formamque arboris exuerat, semper in Amastridis et Cytori undis, vel in Ponto Euxino, versatus est, nuper vero ab ipso Ponto Euxino per maria aestuosa ad limpidum lacum, omnibus a periculis tutus, herum evexit. Nec quicquam impedit quominus « nuper » interpretemur. Si iam antea phaselus a Ponto Euxino ad Benacum lacum iter confecisset, male quidem hospites de nullis votis nuper factis edoceret. Facile enim esset cogitare eum, quae vota non fecisset nuper, alias fecisse. Sed tam longum, tam difficile iter phaselus numquam antea susceperat. Quin etiam est cur et tueamur « novissime » et « nuper » interpretemur. Si « novissimo » retinemus, Pontum Euxinum intellegimus: quem eundem intellegimus, sublato « novissimo »: nam si semper in illo mari fuit phaselus, de alio mari mentionem fieri nemo suspicabitur, praesertim cum saepe Catullus nullo modo ea aliis explanet, quae ipse habeat cognita atque perspecta (v. s. p. 48). Sin « novissime » repudiamus, quando iter illud factum sit, ignoramus. Itaque illa « ultima ex origine » « inde » « novissime » non sunt, id quod visum est Munroni, duos locos, alterum Plancii (Cic. fam. X 24,2) alterum

Senecae (de Ira III 5,2) consideranti (p. 16), opposita inter se: « novissime » et « inde » ad idem pertinent tempus, vel potius « inde » quo loco sit iter susceptum, « novissime » quo tempore confectum declarat. Ac « novissime », si cui friget, mihi, quo positum est loco, suam quandam habere videtur venustatem. Etenim quis non sentit maximum esse discrimen idemque, si placet, maestitiae plenum, inter condicionem quae nunc est phaseli et eam quae erat modo? Superbus et celer in fluctibus ille modo versabatur: « nunc recondita senet quiete ». Ac tale est discrimen, ut id quod erat nuper — quam rem non Klotzius solum neglexit, qui « novissime » et « prius » (v. 25) inter se repugnare adfirmavit, sed etiam Westphalius, qui eum refellit (cf. Westph. p. 173) — tamquam si longa aetas effluxerit, remotissimum appareat.

V 11 Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut ne quis malus invidere possit,
Cum tantum sciat esse basiorum.

Cum nemo nunc Ribbeckii (1) et Richteri (Rh. Mus. XIX) sententiae adsentiatur, qui nescio quam stropharum concinnitatem aucupantes, versiculum 13 delendum arbitrati sunt, restat ut videamus utrum « sciat » an « sciet » scribere oporteat. Recte monuit Ellisius, in Priapeorum versiculo « *Cum tantum sciet esse mentularum* » LII 12 (ex quo Buechelerus [Rh. Mus. XVIII], quem secuti sunt Muellerus et Schmidtius, « sciet » pro « sciat », quod habent codices, item in Catulliano carmine restitui debere conclusit), ideo esse modum

(1) " Den letzten Vers... habe ich unbedenklich gestrichen. Die Composition in 4 dreizeiligen Strophen hat Th. Maurer (Rhein. Mus. XIV 322) richtig erkannt „. C. Valerius Catullus p. 56.

indicativum, quod in oratione non sint nisi indicativi, cum apud Catullum coniunctivus (sciat) coniunctivum (possit) sequatur. Sed aliud etiam potest animadverti. Quam ob rem est Catullus basiorum numerum conturbaturus? Ne quis, si hunc sciat, « invidere possit ». Ergo basiorum numerum sciet nemo. Hinc patet et modo coniunctivo opus esse, non indicativo, et « cum » hoc loco idem omnino, quod « si » significare. Habes hanc particulam, hunc modum etiam in c. XXII 9, ss. *Haec cum legas tu, bellus ille et urbanus... caprimulgus... videtur.* In quo non est praetereundum modum coniunctivum (quo, quoniam « tu » ad Varum refertur, non idcirco usus est Catullus, quod nullam designaret personam) conexum esse cum indicativo. At contra in carmine V, si ea quoque in lucem proferre volumus, quae nullis sunt verbis expressa, de tempore fortasse poterit esse quaestio, non de modo, qui non erit nisi coniunctivus. Catullus enim de conturbandarum rationum consilio rogatus, respondebit: « Si quis improbus homo eas sciret, mihi invideret » aut, et multo melius, ut puto, « invideat, si sciat ».

VI 6 Nam te non viduas iacere noctes
Nequicquam tacitum cubile clamat.

Si omnino negari deberet id cubile loqui et clamare posse, quod esset tacitum, fortasse praestaret aut « nequaquam » scribere—(Stat. Heins. Rossberg. Ries.) eo enim clamaret cubile, quia esset loquacissimum aut, « nequicquam » servato, « tacitum » (Sillig. Postg.) non cubili, sed Flavio tribuere. Ceterae coniecturae—Munronis, « tacitum » non adiectivum esse, sed participium passivum adfirmantis (sc. cubile clamat te non viduas iacere noctes, nequicquam tacitum=de quo frustra taces) Baeherensii « nec quidquam » legentis et sic interpretan-

tis: « nihil quietum silentemque, qualis esse solet qui in nocte solus cubat, sed multo cum lecti strepitu, qualis fit in bello Venerio », Schmidtii « ecquidnam tacitum? » adferentis—plane sunt meo iudicio repudiandae. Sed non reperio cur amovenda sit oppositio (tacitum-clamat), quae cum ipsa pulcherrima est (« nequicquam », quod improbat Schmidtius [p. CX], ideo probandum videtur, quia declarat Flavium, quamvis in manifesta re deprehensum, tamen, quod nemo ibi sit qui loquatur, se omnia occultare posse confidere) tum verborum collocatione, sicut multi perspexerunt, maxime commendatur. Nam si paulo post Catullus de argutatione lecti et inambulatione mentionem facit, nullo pacto sibi non constat. Tacitus quidem est lectus, cum non loquitur, sed quippe qui argutationem inambulationemque prae se ferat, magna voce, ut ita dicam, clamat Flavium in voluptatibus et deliciis versari. Atque etiam, si verum est, quod mox defendam, illud intellegi debere, Flavium, quamvis tacitum, ipsum clamare, « tacitum » et « clamat » apte inter se cohaerere maxime confirmatur, cum idem tandem dicatur de cubili, quod de homine.

9 **Pulvinusque peraeque et hic et ille**
Attritus.

Primum ex eo quod habent omnium optimi codices (« hec [O « h' »] et illo ») facilius « hic et ille » (quod et est in ed. a. MCCCCLXXIII et ex D receptum est a Lachmanno), quam « hic et illic », quod habent editiones a. MCCCCLXXXI, a. MCCCCLXXXV. Ald. I et post Muretum Scaligerum Vossium Doeringium, tuentur Silligius Huschkius Riesius Postgatius, depromitur: nam si qui putant « heic et illeic » (Baehr. Schw.) esse potius depromendum (melius « hac et illac » elicuit Schm.) ii il-

lis refelluntur, quae supra (p. 30) disputavi. Deinde Catulli sententia, ut ego arbitror, magis exstat atque eminet, si « et hic et ille », quam si « et hic et illic » legimus. Cum « hic illic » dicimus, non duo loca designamus, sed plura. Apud Ovidium (Met. VII, 581) miseros illos homines, saeviente pestilentia, aspiceres *Hic illic, ubi mors deprenderat, exhalantes*. Quos passim animas efflasse, quis non perspicit? Sed cum dicimus « et hic et illic », quoniam duplex illa particula ad duas res distinguendas separandasque maxime valet, duo loca, non plura significare volumus, praesertim « peraeque », ut in Catulli versiculo, ante haec ipsa vocabula posito. Ita sive pronomina recipimus sive adverbia, illud intellegimus, lectum in utraque parte compressum esse, in exteriore ubi vir, in interiore ubi femina iacere consueverat (cf. Ov. Am. III, 14, 32. *Cur pressus prior est, interiorque torus?*). Mihi tamen videtur maiore quadam perspicuitate Catullus indicare non unum, sed duo capita pulvinum compressisse, si, potius quam duas unius pulvini partes designet, duos pulvinos ex uno, ut ita dicam, efficiat.

12 **Nam ni ista prevalet nihil tacere.**

Maximus est coniecturarum numerus, quae ad hunc emendandum versiculum (Mureto enim eundem adulterinum esse existimanti adsensus est nemo) factae sunt. Quarum tamen plurimas repudiare licet, nulla de iisdem habita disputatione. Nam sive docti homines censent opus non esse, ut hic versiculus restituatur, etiam versiculum 13 aut 13 et 14 restituere (« Nam ni est turpe, volens nihil taceres » Stat., « N. ni stupra, valet nihil tacere » Scal., « N. nil praevalet ista, nil tacere » Dousa f., « N. ni istapte, valet nihil tacere [« nisi turpe et febriculosum aliquod scortillum depereas, non puderet

amores tuos palam profiteri »] Voss., « N. nil praevalet ista mi t. » [« nulla causa tantum apud te valere debet, ut *ista*, quae amorem tuum spectant, *mi*, tibi amicissimo, taceas »] Doer., « N. mi p. i. nil t. » post Ald. I Sill. et Speng., « Quamquam frustra, etiam haec volent t. » Froel.), sive arbitrantur, nisi qui sequuntur versiculi emendentur, ne hunc quidem emendari posse (« Numne stupra vales mihi tacere, Cur non tam latera exfututa pandant, Noctu quid facias ineptiarum ? » Meleag., « Quum nil praevalet ista mi tacere, Cur nunc iam ctt. » Heins., « Atqui pr. ista nil t., Cur nunc tam latera exfututa pandans, Noctu quid facias ineptiarum ! » Huschkius, « Nam, ni praevalet, ista nil t., Cur nunc tam l. ex. pandas, Ni tu quid f. i. ? [« Nam, etiamsī tibi quid esse cum muliere vel inde non satis appareret, quod ista... non tacent, unde tandem nunc... latera tibi adeo exhausta et inflexa... nisi a Venere ?] Pfeiff., « Nec nimis tamen id mihi taceres, Sei non iam latera ecfututa pandas » Pleitn.), omnino incidimus aut in vocabula a codicum litteris maxime discrepantia, aut in sententias, non raro obscurissimis verbis expressas, quae, ut nunc nemini probantur, ita nullo labore falsae esse reperiuntur. Nec opus est dicere multas esse coniecturas, quarum et a codicum litteris verba et a vero sententiae plurimum distent. Itaque, ut ab ea re ordiar, quam probaverunt Lachmannus Muellerus Vahlenus Ellisius, errat Hauptius, qui « stupra » — quam vocem nec Catullianam esse nec ad hunc locum accommodatam alii animadverterunt — a Scaligero mutuatus, « Nam nil stupra valet, nihil, tacere » scribendum ducit. Etenim cum antea (vv. 6 — 11) appareat, cubili lecto pulvinoque loquentibus atque clamantibus, Flavium nequicquam tacere, paulo post (vv. 12-13), aeque ac si argumentum hoc allatum non sit, ideo ille frustra tacet, quod ipsa corporis condicione,

debilitati hercle et infirmi, se in amore atque in voluptatibus noctes consumere apertissime ostendat. Quod vitium inest non in particula (nam), sed in sententia, ut ex coniecturis colligitur Munronis (Mani, stupra vales nihil tacere), Riesii (Nil celare valet, n. t.), Nowachii (Nomen is pote, alid n. t., Listy 1886), Schwabii (Iam nil stupra vales n. t.), qui particulae illi locum nullum relinquunt. Accedit quod « nam » retinetur a Tartara: cui quod obiecimus Hauptio, obicere non licet. Tartara, cum hanc contendat esse Catulli sententiam: «Tu potes quidem tacere, ista vero frustra tacita, tacere non valent », sic emendat: « Nam nil ista valent, nihil tacere ». Etsi dictum iam est, cubile lectum pulvinum, cum sint tacita, tamen clamare, quis non intellegit sine molestia addi, tacere illa non posse? At hic quaerendum est quid sit quod emendatio intra versiculi 12 fines non cohibeatur, sed « tum » pro « cur » in v. 13 scribatur. Etiam Baehrensius, ut rem explicat (1), reprehensionem effugit, in quam Hauptius incurrit, sed nescio cui possit illa explicatio probari. Eius praeterea versiculus, qui hic est: «Nam mi ista ipse valet nihil tacere», profecto non suavis et in quo quiddam redundet (mi), quiddam egeat explanatione (« est enim *ipse* dominus cubilis sive Flavius»), propter illud « ista » debet potissimum repudiari. Quod pronomen, si retinetur, ad tria illa, cubile lectum pulvinum, ut Tartara putat, est referendum, et ob eam etiam causam, opinor, quod proxima sunt, non ad sententiam versiculi 6 (te non viduas iacere noctes), quae non solum remota est, sed talis ut una de re, non de pluribus cogitemus. Qua ratione non minus ea refelluntur, quae Richterus (« Non ista ipse vales mihi t. » Pr. 1881 p. 15) et Schmidtius,

(1) " **nam quod nunc proferre potes, ex sertis odoribus lecto non concludi posse de amoribus furtivis: tu corporis tui misera condicione hos dissimulare omnino nequis** „.

quem probavit Postgatius (Iam tu ista ipse vales nihil tacere), in medium protulerunt. Sed, ut alii antea, sic Richterus Tartara Baehrensius Schmidtius Postgatius verum quidem dispexerunt, cum ad Flavii taciturnitatem expugnandam duo argumenta, alterum minoris, alterum maioris momenti, cubilis lectique aspectum et corporis habitum, adferri intellexerunt. Ego, re tota penitus perspecta, veri simillimum esse puto ita Catullum scripsisse:

Clamas ipse, valet nihil tacere.

Hoc modo non solum duo illa argumenta, quae dixi, patent in promptuque sunt, sed etiam clamat Flavius, sicut clamant cubile et lectus, atque ut haec clamant cum tacent (cf. « nequicquam tacitum »), ita clamat cum tacet (cf. « valet nihil tacere ») Flavius. Quod apud homines Catulliani sermonis peritos valere debet plurimum. Ac versiculo 12 sic emendato, confirmatur quod supra posui, « tacitum » et « cubile » iungi debere, ut, si haec iungimus, perspicuum est veram esse versiculi 12 emendationem. Altera res alteram fulcit. Nec video quidnam sic mihi hunc locum emendanti et legenti recte obici possit. Catullus dixerat Flavio: Non me falles, quae circum te sunt, voce quidem non utuntur, omnia tamen clamant, aliquam ad se meretriculam te totum convertisse atque rapuisse. Quid hoc aptius, quid iucundius addi poterat: Tu ipse, Flavi, qui mutus es factus, clamas? In litteris, ex quibus constant « Nam ni » (O « in »), « Clamas » latere nemo facile negabit, qui perspexerit, datis, quae danda sunt, « C » et « l » uni « N », in verbis corruptis non modo tot inveniri litterarum ductus, quot « Clamas » habet, sed ipsas fere litteras (*Nam* = Clam *i* = a *n* = s); siquidem et non raro « i » pro « a », ut « a » pro « i » (v. s. p. 31) in Catulli etiam codicibus librarii scripserunt, et ut in

G (LXVIII 12) pro « Neu » est « Seu », ita in V fuit (XXXVI 12) « Uriosque » (nam inter « u » atque « n » litteras nullum saepe esse discrimen quis ignorat?) pro « Solosque », quod ego restituendum existimo (v. i. p. 145) ac (LXIII 5) « deuoluit » pro « deuolsit ». Temeritatis vero non esse pro « ista pre » non « ista ipse », sed « ipse » reponere, intellegi poterit, si fingemus « ista » ad sententiam explanandam supra versum scriptum fuisse hoc modo: « $\overset{\text{sta}}{\text{ipse}}$ », idemque postea in orationem esse receptum. Tam « valet nihil tacere » probare debemus, quam illud Ciceronis (Caec. XXII 62) *Atque ut magis intellegas, quam verba nihil valeant.* Apud Catullum « nihil » collocatum est post verbum valendi, ut unum inter omnia vocabula emineret. Quod etsi est perspicuum, non frustra tamen hunc versum cum illo versu comparabimus, quem attulit Cicero in libello, qui Orator inscribitur (XLIX, 166): *Id, quod scis, prodest nihil, id, quod nescis, obest.* Ne quis autem velit reprehendere, quod « ipse » non ante illud « clamas », sed post sit positum, haec satis erit proferre: Cic. Phil. II, 29, 71 *Cuius tu imperatoris quaestor fueras, dictatoris magister equitum,... testamento, ut dicebas ipse, filius.* Ib. 36, 91 *Meministi ipse, de exsulibus.*

VIII 19 At tu, Catulle, destinatus obdura.

Quoniam destinare significat vincire, statuere, deliberare, designare, horum similia, Livianum autem « destinata » (*His praeparatis, quamquam ad bellum consilia erant destinata, senatum tamen praeberi legatis placuit,* XLII, 48) nullo modo idem esse atque « obstinata » videtur (illud Curtii V, 10, 5 *placuit per milites Bactrianos ad omne obsequium destinatos re-*

gem comprehendere, et illud Caesaris, B. C. I, 25, 7 *Has* [*naves*] *quaternis ancoris ex IV angulis destinabat, ne fluctibus moverentur* ne debebant quidem in disceptationem venire), hoc a me impetrare non possum, ut putem « destinatus » ad Catullum pertinere. Quod autem suspicatur Ellisius, qui Glossarium Sangallense adfert, (1) Catullum aliqua se devotione obligasse, qua ad rumpenda vincula, quibus a Lesbia devinctus et constrictus teneretur, animum firmaret, id totum est in opinione positum. Quis praeterea non intellegit, Catullum, etiam tum cum se magno opere hortetur, ut fortis sit suaque in sententia permaneat, paratum quidem esse, ut paulo post fecit, de sententia decedere? Itaque Turnebum (Adv. XX, 21) et Vossium « obstinatus » restitui oportere censentes (2) equidem improbare non possum. In quo illud est vel maximum quod ut hoc loco « obstinatus » et « obdura », sic antea « obstinata mente » et « obdura » coniuncta sunt. Sed esto, « destinatus » scripserit Catullus. Quoniam « obstinata » aut « obstinatus » et « obdura » ab iisdem oriuntur litteris, ille aurium voluptati, ut ita dicam, prospexit tum cum eam propter alia verba inter haec duo interiecta vix aures poterant percipere; tum cum sine labore poterant, duabus litteris mutatis, de industria non prospexit. Quod a Catulli consuetudine distare plurimum, nullis exemplis declarabo. Itaque hic etiam Catullum hiasse adfirmare non dubito. Ad quem hia-

(1) Two glosses in Prof. M. Warren's edition of the Glossarium Sangallense, *devotio, distenatio* (l. *destinatio*), *devota, distanata* (l. *destinata*) offer another possibility „.

(2) Vossius, si verum sequimur, de retinendo, non de restituendo verbo cogitat. Qui ita scribit: " Cum haec sit constans omnium librorum scriptura, frustra sunt illi qui locum hunc reformare conantur „. Sed " obstinatus „ habent pauci codices, in quo numero sunt N[1] et Hamburgensis (cf. Ell. Ed. p. LIII): reliqui " destinatus „.

tum tollendum, quendam olim pro « obstinatus » « destinatus » scripsisse cur non putabimus (1) ?. Si tamen omni pacto hic hiatus debet removeri, viderint viri docti, quoniam « destinasti ut », quod coniecit Baehrensius, est penitus repudiandum, sitne « tu obstinatus » legendum. Quod pronomen et hic propter illud alterum « tu », quod in eodem est versu, fieri potuit ut excideret, et omnibus locis apud Catullum eliditur (cf. X 33, XLIX 7, LXVII 37, LXVIII 129, LXXVI 11), insequente vocali. Eius autem iterationem, quae cum illa contentione et clamore coniuncta est, de quo loquitur Cicero (Orat. XXV 85), commoto et conturbato Catulli animo aptam et consentaneam esse, nemo est qui non sentiat.

IX 1 **Verani, omnibus e meis amicis**
Antistans mihi milibus trecentis,

Male Baehrensius et Postgatius « o » non « e », quod deest in O, scribunt, peius Hu. Weberus (Quaest. Cat. 1890 p. 142) pro « e meis » « eminens » reponit. In hoc versiculo, quem etiam Schmidtius corruptum existimat, nihil inest mendi. Nam « omnibus e meis amicis » et « milibus trecentis » non sunt, ut omnes fere arbitrantur, inter se conexa. Haec est sententia : « Verani, qui is es amicus, quem putem unum antistare trecentis milibus amicorum ». Scilicet Catullus adfirmat Veranium antistare quamplurimis amicis, nec in omnibus amicis suis alterum quemquam reperiri, de

(1) Nemo non scit veterum et poetarum et solutae orationis scriptorum libros iam antiquissimis temporibus emendari, quod saepe idem est ac corrumpi et depravari, esse solitos. Ut alia omittam, non raro Gellius de praestantissimorum scriptorum locis aut sua aut superiore aetate emendatis mentionem facit.

quo idem aut velit aut possit dicere. Itaque in versiculo 2 « amicorum » intellegi debet ut in versiculo 3 carminis XLVIII, ubi « milia trecenta » est, intellegimus « basiorum ». Quod si quis Mureti sententiam approbans, quam Aristophanis auctoritate (Nub. 430) confirmavit Pfeifferus (Symb. Cat. p. 51), non milia amicorum sed passuum interpretari velit (1), fortasse non male interpretetur. Saepe abest « passuum » etiam in oratione soluta (cf. Cic. Phil. VI 3, 5 *ut exercitum citra flumen Rubiconem..... educeret, dum ne propius urbem Romam ducenta milia admoveret? Huic denuntiationi ille pareat, ille se fluvio R. et ducentis milibus circumscriptum esse patiatur?* Caec. X 28 *ut non auderet.... iterum dicere, quot milia fundus suus abesset ab urbe. Nam cum dixisset minus* IↃↃↃ, *populus cum risu acclamavit ipsa esse.* Cf. etiam Sall. Iu. XLVIII 3, LXXV 2, XCI 3, CVI 5, Hist. IV 19. 22). « Milibus trecentis » autem ita est clarum, ut declarari non debeat (cf. tamen Cic. Div. II 43, 91 *quantum absit [luna] a proxima Mercurii stella, multo autem longius a Veneris, deinde alio intervallo distet a sole*). Sed verba non iungemus hoc modo: « antistans ex omnibus meis amicis »; quod, ut etiam Baehrensius vidit, non est Latinum, quia « antistare » post se dativum habet aut accusativum: « ipsis », quod quidem pronomen Catullus non scripsit, sed, si hanc sequimur interpretationem (cf. etiam LXIV, 214 *Talia complexum iuveni mandata dedisse*, ubi « iuvenem » abest), e superiore versiculo, ubi est « amicis », intellegimus, et « antistans » inter se iungenda sunt. Itaque sic licebit hunc locum explanare: « Ve-

(1) Muretus tamen " antistes „ (= προστάτης) legit, quod est in nonnullis codd. inferioris aetatis et in multis editionibus. Handius (Obs. p. 28) Silligius Pfeifferus (p. 50) retinent *antistas*, quod habent omnes fere libri; emendatione neglecta Palladii (antestans) et Avantii.

rani, qui is mihi es, qui, unus ex omnibus meis amicis, ipsis antistes et trecentis milibus passuum ». Itaque illud « milibus trecentis » dupliciter interpretari possumus, reliqua vero, quibus Catulli sententia tota fere continetur, unam, quod magno opere animadvertere refert, habent interpretationem.

3 **Venistine domum ad tuos penates**
Fratresque unanimos anumque matrem?

Consideranti mihi pro « sanamque » et « suamque », quae fuerunt in V, « anamque » et « uamque » legi oportere, siquidem liber ille non « unanimos », sed, « s » littera male distracta, « unanimo » habuit (1), primo aspectu reiciendum videtur et « tuamque », quod est in editionibus a. MCCCCLXXXI et a. MCCCCLXXXVI, in Ald. I, apud Guarinum Muretum alios (« suamque » retinent Scaliger in commentario, Lachmannus in versu) et « senemque », quod ut in nonnullis inferioris aetatis codd. invenitur, ita probatur Avantio Statio Meleagro Hauptio Froelichio Rossbachio Vahleno. Patet enim esse et « tuamque » ad corrigendum « suamque » excogitatum et « senemque » ex illo « sanamque » excusum. Facile autem ex eo quod est « anamque » et, si lineam, qua « u » littera designatur, supra « a » scripserimus (G habet « suāque »), ex eo quod est « uamque », « anumque », iam a Faerno depromptum, facile deprometur. Quod autem censet et Palmerius (Class. Review. 1891), qui « bonamque » profert (bonam quidem Catullus Gellii matrem appellat LXXXIX 1, sed cavendum est, ne perverse hanc bonitatem intellegamus), et Pohlius (Pr. 1892), qui « piamque », quod iam Passe-

(1) “ Unanimos „ aut “ unanimes „ non habent nisi pauci (etiam D) ex deterioribus libris.

ratius invenerat, defendit, Veranii matrem, nisi rustice et illepide, anum non appellari, hoc longe abest a vero. Sine dubio apud Tibullum « anus aurea » (I, 6, 58) « anus dulcis » (ib. 63) reperitur, sed hoc loco satis est « anus ». Quid optatius accidere poterat filio quam ad matrem aetate provectam—nam quae disputavit Pohlius, ut demonstraret Veranii matrem anum non fuisse (1), minime approbo — post longum iter diuturnamque absentiam redire? Quid optatius matri, ob magnam aetatem fortasse ne speranti quidem se recuperaturam esse filium, quam filium diu absentem recuperare? Hunc igitur locum temptare desinamus et quod vere emendatum est, vere emendatum ducamus.

X 9 **Respondi id quod erat, nihil neque ipsis**
Nec praetoribus esse nec cohorti,
Cur quisquam caput unctius referret.

« Nihil neque ipsis » et est in antiquissimis editionibus et post Lachmannum omnibus fere doctis probatur; nam de Munrone Caesarem B. C. I 72 proferente, ob eamque ipsam rem post versiculum 10 punctum, post v. 11 interrogandi signum ponente (cf. Ellisium [Comm. Exc.] hanc interpungendi rationem probe refutantem) nihil dicam. Prius tamen « nec » de versiculo 10 omni-

(1) " Schwabius Qu. Cat. p. 243 Catullum censet hoc ad Veranium carmen non post a. 694,60 i. e. annos circiter viginti septem natum (cf. l. l. p. 48) scripsisse. Quod si Veranium, hominem aliunde nobis ignotum, sed artissimo familiaritatis vinculo cum Catullo coniunctum, huic aetate supparem fuisse, hanc ipsam ob causam neque inique neque prorsus sine veritatis specie statuemus reputabimusque, id quod L. Friedlaender... ex titulis mulierum sepulcralibus diligenter compositis docuit, virginum Romanarum aetatem nubilem fuisse plus minusve quinum denum annorum, matrem Verani ex Hispania Romam redeuntis tunc iam anum vel senem fuisse parum probabile videri concedemus. „ p. VI.

no depellere debemus. Hoc enim potissimum impedit quominus existimemus, quod existimavit Palladius et Livii auctoritate usus (VI, 30 *Setiam*, *ipsis querentibus penuriam hominum, novi coloni adscripti*) contendit Gronovius (Pec. Vet. III, 17), « ipsis » idem esse atque « Bithynis hominibus », quod, cum de iis sermo sit, qui in Bithyniam eant, de Bithynia redeant (cf. « referret », quod optime Ellisius comparavit cum hisce C. Gracchi verbis: *Itaque*, *Quirites, cum Romam profectus sum*, *zonas*, *quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes rettuli*, Gell. XV, 12), non de iis esse potest, qui in Bithynia iam sunt. Ellisio autem « ipsis » et « praetoribus » iungenti eidemque statuenti, ideo Catullum « neque » et « nec » dixisse, ut quod negare vellet, vehementius negaret, iam ipsa utriusque particulae collocatio adversatur. Ad emendationes igitur pergamus. Traubii (« mihi neque ipsi Hoc praetore fuisse nec » Lib. cr. a. MCCCLXXXIII) et Baehrensii (« nihil lucelli Nec quaestoribus esse ») audacissimas coniecturas opus non est refellere. Falsa esse « nihil nec ipsi » (B. Guar., Ald. I. Mur. Heins.) « mihi nec ipsi » (Stat. Scalig.) « nihil mihi ipsei » (Pleitner. S. p. 104) ex hoc perspicitur, quod, cum nunc Romae Catullus sit, non in Bithynia, « fuisse », non « esse » exspectamus. Reici debere « nihilmet ipsis Nec » (Voss.), quamquam non sensit Vulpius, quis non sentit? Levissimae quidem omnium emendationes sunt « nunc » (Westph. Richt. p. 14, Ries. Postg.) et « iam » (Schm.): « his » enim, quod attulit Hermesius (Pr. 1889), si Memmium et praetores, qui ante Memmium in provinciam profecti sint, necesse est intellegamus, nimis explanatore aut interprete eget. Verum tamen sic puto, Catullum, interrogatum de Bithynia, tum bene apteque respondere, si id dicat, quod ipsam Bithyniam maxime attingat. Satis igitur non est, ut ego iudico, respondere: praetoribus eorumque cohorti

(per me enim licet quiescant quaestores, quos e somno excitavit Muretus, praecones, quos excitavit Marcilius) nihil esse divitiarum et lucri. Ubinam nihil sit, quamquam facile intellegi potest, velim declaretur. Quod idem fortasse sentiens, « hinc » coniecit Froelichius. Ego vero « hic » censeo scribendum. Si litteras respicimus, « hic » non modo praestantius est quam « nunc » et « iam », sed ipsum « nec » paene esse videtur. « Hic » pro « illic » bene dici nemo infitiabitur, cf. Verg. Aen. I, 12 ss. *Urbs antiqua fuit... Hic illius arma Hic currus fuit.* Nep. Att. II, 3 *Ac ne illa peregrinatio detrimentum aliquod adferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum traiecit suarum. Hic ita vixit ut universis Atheniensibus merito esset carissimus.* Quin etiam in hoc ipso carmine (v. 5) « huc » pro « illuc » (nam quo modo « hic » et « illic », eodem « huc » et « illuc » inter se differunt) invenimus.

" Quaeso „ inquit " mihi, mi Catulle, paulum
Istos commoda: nam volo ad Sarapim
Deferri „

Si puella Vari, a Catullo impetrare vult, id quod in dubium venire non debet, ut lecticarios homines, quos hic ex aere Bithynico paraverit, sibi paulum commodet, est « commoda » modus imperativus; esse enim adiectivum numeri pluralis (« istos commoda » = « quae commoda sunt » cf. Ellis.) vehementer nego. Quam verborum coniunctionem interpretes aut grammatici exquirere possunt, nequaquam exquirit puella a sermone cotidiano et domestico numquam abhorrens. Quapropter non in dactylum, quo opus est, sed in creticum, qui non est ferendus, incidimus. Verum tamen quomodo, cum de re commodanda sit sermo, id ipsum commodare removeri debeat, compertum non habeo. At « com-

moda » Catullus nullo verbo expressit, intellegi voluit. Sit ita sane: adfirmabimusne « commoda » additum esse ab aliquo librario aut erudito homine, qui, cum hoc ipsum verbum, quod necessarium putaret, non invenisset, in margine aut inter lineas adscripserit? Sed, si ita est, nihil ex eodem trahi potest coniectura. Male igitur viri docti protulerunt, ut « nam volo commode » (Stat.) et alia huiuscemodi praeteream, « commodo » (Scalig.) « commode » (= « o benigne » Doer.) « commodum enim » (Hand. [Obs. p. 34], quem post Hauptium secuti sunt multi) « commode enim » (Muell.). Atque « si commoda » ad sententiam explanandam additum esse statuimus, illud etiam statuere debemus, aliquid hic perisse. Ita, si non aliam capiemus utilitatem, at certe maiore libertate in coniecturis faciendis utemur, siquidem in codicum litteris non ita fixe et petulanter haerebimus. — At « commoda » nemo addidit, verbum est enim depravatum et corruptum. Immo ne corruptum quidem, si esse putabimus aut accusativum numeri pluralis (v. s. p. 76) aut nominativum n. singularis (« commoda volo » Meleag.). Sequitur ut Catullus « commoda », quod omnes requirimus, non dicat, ad aliud autem significandum, id vocabulum adsumat, quod et sono et litteris sit eius simillimum, aut potius sit idem omnino. Praeclare se res habebit; nova atque inaudita mihi videtur. Sed certumne est commodandi verbum recte omitti potuisse? Qui hoc adfirmant ad ipsius Catulli auctoritatem se conferunt. Verum carmina XXXVIII (v. 6) et LV (v. 10) non sane sunt cum hoc loco comparanda. In c.XXXVIII Catullus aegro animo est, magnoque oppressus dolore. Verba eum deficiunt, qui, quicquid dicit, cum labore dicit. Idem in carmine LV inveniendi Camerii studio adductus, hac illac currit, puellas, in quas incidit, de Camerio nulla interposita mora interrogat. Eum igitur,

ut est hominis celeritas festinatioque, nihil tam decet, quam verbis parcere. Puella autem Vari nullam habet causam, cur sermone utatur brevi et celeri. Et vero, ut proprium est feminae in audientis animum irrepere exoptantis, molliter loquitur ac lentius, ut « quaeso » « mi » « paulum » declarant. Nec melius illud Vergilii (G. III 513) *Di meliora piis, erroremque hostibus* adferri iudico. Si orantium est petere, deorum concedere, hoc ipsum concedere, quamquam omissum est (quod item a Cicerone omissum videmus, cf. Phil. X, 5 *Di, meliora! inquies*), statim intellego. Puella tantum « paulum istos » dicat. Statimne quid haec appetat atque deposcat, Catullus intellegit, si ideo paulo ante mentitus est (v. 6 ss.), quod quid puella esset petitura, nullo modo suspicaretur. Comici quidem poetae dandi ferendi mittendi verba aliquando non scribunt, sed cum omnibus ex rebus aliquid dari ferri mitti, facillime animo percipimus. In versiculis autem a Munrone allatis (Mart. IV 43, 4 ss. *Si dixi, Coracine, te cinaedum, Iratam mihi Pontiae lagonam*, *Iratum calicem mihi Metili*) et verbum dandi omissum esse plane intellegitur et, quod abest verbum, oratio apta et accomodata est ad eum animi impetum, quo Martialis se esse incitatum per ludum ostendit.

Nec praetereundum censeo, ea quae huius loci emendandi causa excogitaverunt viri docti, non esse prorsus laudabilia. Missas facio coniecturas, quae, cum alia sit sententia, facilius repudiantur, sed si eas ipsas sequimur, quibus meretricula opportuno se tempore (« commode » « commodo » « commodum ») ad templum Sarapidis lectica vult deferri, aliqua ex parte redundat oratio. Nonne satis erat dicere: « volo » ? Quam molestiam non avertit Postgatius (cf. etiam Journ. of phil. 1888), qui « commodum enim », ut Handius, scribit, sed duo puncta post haec verba ponit. Omnino inepte meretricula, postquam a Catullo petivit, ut lecti-

carios homines sibi commodaret, antequam addat per eos ad Sarapidis templum evehi se velle, illud « commodum enim » intericit, praesertim si verbum commodandi ideo omissum est, ut oratio flueret liberius. Itaque nullum verbum desiderari adfirmo. Aut « commoda » Catullus scripsit aut aliquid ex hoc vocabulo elici debet, quod idem significet. In Ald. I est « commodita », Heinsius « da modo » coniecit. Utrumque falsum. « Commoda » et ad Catullum pertinet et est, ut supra dixi, imperativus. Utrum autem ultima syllaba, praeter omnium fere poetarum consuetudinem, correpta sit (uno enim Plautino versiculo excepto (1), nulla exstant exempla imperativorum ad primam declinationem pertinentium tribusque ex syllabis constantium, quarum postrema sit brevis); sed utrum hanc syllabam Catullus corripuerit, ut tenent Vossius (2) Rossbachius Westphalius, an metro, id quod Burmanno (Misc. obs. V 1, 9) et Froelichio videtur, « enim » pro « nam » scribendo prospexerit, diiudicare non audeo. Unum dico, me libentius hanc sequi sententiam quam illam. Etenim cum Plauti testimonio non omnis tollatur dubitatio, quam metrum adfert, facile iis occurrimus, quae « enim » pro « nam » restituentibus obici possunt. Non solum « enim » et a Plauto et a Terentio interdum ceteris verbis anteponitur, sed cum anteponatur a talibus poetis, concludere licet, eandem particulam in sermone familiari et cotidiano, qualis est meretriculae, modo post alia verba modo ante collocari esse solitam. Quî vero fieri potuerit ut « nam » pro Catulliano « enim » scriberetur, profecto non requirent qui meminerint saepissime cum inter lineas

(1) " Plautus seems to shorten it (*commoda*) similarly in Cist. IV. 2. 76 „ Ellisius.

(2) Haec tamen scribit Vossius, non recte: " Est enim sciendum ancipites apud veteres fuisse istiusmodi imperativos „.

tum in marginibus codicum addita esse verba ad aliquid explanandum, cum ea nihil tamen explanarent, quod nihil egeret explanatione. In hoc ipso carmine (v. 9) libri habent « nec neque ». Quid si idcirco, deleto « enim », positum est « nam », quod « enim » ab iis qui post Plautum et Terentium fuerunt (Apuleius enim et Iul. Valerius, cf. Neu. II p. 974, nihil apud nos habere debent auctoritatis) ante alia verba collocari non consuesset?

27 " mane „ inquii puellae.

Si pro « inquit », quod habent omnes fere libri, nihil negotii est intellegere « inquii », sicut iam ante Parthenium intellectum est, ex eo quod O habet (« inquid ») facile elicitur « inquio », (quod ut est apud Guarinum et Muretum, sic a Munrone defenditur et a Baehrensio), siquidem librariis, ut D et O litteras discernerent, non semper contigit. Ego vero « inquii » bene restitutum existimo. Si omnes, praeter O, Catulli codices qui exstant, aut ex G aut ex aliquo vel ex aliquibus Germanensis exemplis essent descripti, ita sane poni liceret, in V « inquid » fuisse, quod eum, qui O exaravit, recepisse, eum qui exaravit G, emendasse. Sed cum non ita se res habeat, quaerendum videtur quomodo « inquid » in uno O inveniatur. Ex quo id omni veritatis similitudine efficitur, in V fuisse « inquit », in O per errorem scriptum esse « inquid ». Interdum « t » pro « d », saepius « d » pro « t » in Catulli codicibus reperitur. Ut haec adferam, T habet LXII 36 « adlucet » pro « at libet », 45 et 56 (in 45 omnes libri) « tum » pro « dum »; plurimi codices, in quibus G et O, XXXXV 10, L 14 LXI 196, 232, LXIV 43 « ad » pro « at », LXIV 277 « at » pro « ad »; G LXI 66 « quid » pro « quit » LXIV 25 « thetis » pro « taedis »; O

LIV 1, LXVI 40 « capud », LXIV 200 « reliquid », LXXXII 2 « aud » pro « aut » et, quod maximum est, XLV 2 et 13, LX 11 « inquid ».

32 Utor tam bene quam mihi pararim.

Quamvis et Statius legendum censuerit « paratis », fortasse recte, si Schmidtium audimus, si Munronem et Postgatium (hic tamen « paratis » esse genere neutro, non masculino arbitratur, Journ. of. phil. 1888), omnino vere, et coniecerit Baehrensius « quam ipse si », Ellisius « quam ipse mi », codicibus fidem derogare non debemus. Quid contra disputari posset, si Catullus non « utor tam bene quam », sed « utor bene tamquam » dixisset? Profecto nihil, quandoquidem « tamquam » post se « si » non habet frequenter. Atqui « tam » « quam » idem esse hoc loco, quod « tamquam », adfirmare non dubito. Quamobrem non illud dicendum est, « si » deesse, sed « tam » et « quam » non esse inter se coniuncta. Quae etiam Cicero seiunxit, ut ex eo loco apparet, quem attulit Vulpius (Fam. XIII 17, 1): *domus eius tota mihi patuit, qua, si opus fuisset, tam essem usus quam mea*, et cum hoc comparavit (Ib. 69, 1): *ad hunc scribere consuevi, huius cum opera et fide, tum domo et re uti tamquam mea.* Quod autem defendit Munro, nec falsum putat Ellisius, si « tam bene quam si » intellegamus, « parassem » non « paririm » requiri, id est falsissimum. Cicero dixit (Fam. XVI 5, 1) *Xenomenes hospes tam te diligit, quam si vixerit tecum:* cur non *vixisset?* (Phil. VI 4, 10) *Plancum, qui... ita maestus rediit, ut retractus non reversus videretur, sic contemnit, tamquam si illi aqua et igni interdictum sit:* cur non *interdictum esset?* Nec ob eam causam, quod « diligit » et « con-

temnit » verba essent praesentis temporis, perfectis usus est Cicero pro plus quam perfectis. Nam quid est, quare post praesens non semper praesens et perfectum, sed nonnumquam imperfectum et plus quam perfectum reperiatur? *Sensu... amisso,* sic scriptum legimus in Laelio IV 14 *fit idem quasi natus non esset omnino:* cur non *sit?* Sed, ut ad Catullum redeam, sic eius sententiam interpretor: tam bene utor lecticariis hominibus, quam bene utar, si eos mihi paraverim. Ille quidem non paravit, tamen, ut Cinna (certe ex Catulli mente, qui usque eo mentitus erat, ut se parasse diceret), parare potuit.

33 **Sed tu salsa male et molesta vivis.**

Sic Schraderus, quod ipse conieceram, antequam haec emendatio mihi esset nota. Puella Vari, quippe quae Catullo illudat, qui de octo lecticariis gloriatus sit, insulsa (« insulsa, male » Mur. Meleag. alii, « insulsa, vale » Heins. « insulsa, mala » post A. Guarinum Hand.) vel dicam, male insulsa, ita enim omnes fere interpretantur (« invisa, male » Voss., « mulsa male » Baehr.) nullo pacto est, male insulsa coram appellari non potuit, male insulsa non ipsi visa est Catullo, cui statim (« tunc » v. 3), praeter opinionem (1), non hercule illepida visa esset. Itaque Catullianum « salsa male » optime cum Horatiano « male salsus » Sat. I 9,65 com-

(1) Sic illud " repente ", quo optime utimur, si necopinato quid evenit, intellego (cf. Cic. Tusc. III 19,45 *Sentit omnia (poeta) repentina et necopinata esse graviora.* Ib. 23,55 *ista necopinata non habent tantam vim, ut aegritudo ex iis omnis oriatur; feriunt enim fortasse gravius non id efficiunt, ut ea, quae accidant maiora videantur; quia recentia sunt, maiora videntur, non quia repentina.)*, cum perverse " primo aspectu " " extemplo " intellexerint.

omnes fere

paratur. Atque hoc mihi addere licet, etsi « male » exaggerandi vim habeat et minuendi, verum tamen illud Horatii *Appellat..pater...pullum, male parvus, Si cui filius est,* Sat. I, 3, 45, quod attulit Statius, multis et doctis hominibus etiam his temporibus probatissimum, iure allatum non videri. Detrahamus « male », ita ut filius parvus sit, non male parvus; iam Horatii sententiam non tenemus, quippe cum illi adiectivo nulla subiecta sit notio vitii. « Male » igitur hoc loco non ad augendam rem adhibitum est, sed ad explanandam. At « male » (si « insulsa » retinemus) detrahatur de Catulli versiculo: nihil erit obscuri, nihil dubii: puella Vari in feminarum stultarum numero habetur. Restat ut ad codices animum convertamus. Ex O, qui « tulsa » habet, commodius « tu salsa », quam « tu insulsa » depromitur; nam si « tu salsa » legendum est, librarius unam fere syllabam (« sa ») neglegenter omisit, duas (« insu »), si « tu insulsa » : ex ceteris vero codicibus, ex optimis dico, in quibus est « insula » — « insulsa » enim iam reperitur in quibusdam ex deterioribus — hoc ipsum « insulsa ». Si tamen ponimus, « in » ortum esse ex litterarum geminatione (« tu » et « in » saepe inter se non differunt), etiam ex ceteris libris « salsa » (a = u, cf. s. p. 32) facile elicitur. Verum, quoniam codices ad unum archetypum omnes revocantur, quomodo « tulsa » et « tu insula »? Sit sane falsum quod dixi de litterarum geminatione, is praeterea qui O descripsit non « sa », sed « insu » omiserit: illud quaero cur ceteri codices « insula » habeant, nulli, qui interpolati non sint, « insulsa ». Num sic censebimus, eum qui O descripsit ita errasse, ut quattuor litteras neglegeret, unum autem ex omnibus librariis « s » litteram post « l » non neglexisse? Si omnes praeter O e G libri fluxissent, nihil esset quod miraremur: qui error in

G fuisset, is in libros, qui ex eo essent descripti, permanasset. Sed quoniam hic non omnium fere parens est Catullianorum codicum, qui fit ut omnes eodem laborent vitio? Nihil ego conicere volo, sed adfirmate contendo, utrum « salsa » legendum sit, an « insulsa » non esse nimis in codicibus investigandum.

XI 5 **Arabasve molles,**
Seu Sagas sagittiferosve Parthos.

Alii « Arabasve » scribunt (Ries. Baehr. Schw. Schm.), alii « Arabesve » (Muell. Postg.), plerique vero post Lachmannum et Hauptium (ante eos vulgo « Arabasque ») « Arabesque ». Ex codicibus, ut prudens adfirmavit Ellisius, quomodo Catullus dixerit, diiudicare non licet. Nam cum in V legi posset dupliciter, quae res facile intellegitur ex eo quod habet G (« Arabaesque »), hoc videtur factum esse, ut in aliis libris, quod esset in versu (fortasse « Arabes »), in aliis, quod supra esset inter lineas (fortasse « Arabas »; solus fere O), describeretur. Tamen si Petronius (Buech. 102,31) « Arabes » dixit, hoc apud me valet nihil, cum « Arabas », ut unum nominem ex scriptoribus, qui allati sunt, auctoritate confirmetur Horatii (C. I, 35, 40. Epist. I, 6, 6). Sed sive « Arabas » malumus, sive « Arabes », illud contendo, vere in O cum hoc nomine iunctum esse « ve », falso « que » in G. Nam credibile non est Catullum « que » in versu 5, « ve » in 6 scripsisse: aut « que » in utroque, ut placet Lachmanno Hauptio Vahleno aliis, aut scripsit « ve », ut plerique arbitrantur. Cum igitur « sagittiferosve » propter O G et aliorum optimorum codicum consensum in dubium vocari non possit, sequitur ut « ve » in v. 5 legendum sit.

7 Sive quae septemgeminus colorat
Aequora Nilus.

Si « aequora » non « mare », sed, ut censet Ellisius, qui Vergilii (G. IV 291) Propertii (I 6, 32) Ciceronis (N. D. II, 52, 130) exemplis usus est, campos interpretari liceret, nihil fortasse obstaret, quominus « quae » retineremus. Catullus penetraturus esset cum in alias regiones tum Aegyptum. Sed campi intellegi non possunt, propterea quod, ut alia omittam (1), Nilus, sicut animadverterunt, nisi sermo esset de mari, sine causa septemgeminus, qua in re collocatio ipsa vocabuli maxime est consideranda, appellaretur (cf. praeter alios locos, Ov. Her. XIV 107. *Per septem Nilus portus emissus in aequor*). Itaque sunt, meo indicio, in errore qui « quae » retineri posse arbitrantur (Stat. Sillig. Rossb. Vestph. Ries. Baehr. Postg. Iac. alii). Quoniam Catullus de visendis Hyrcanis Parthis ctt. loquitur, idem loqui debet de visendo non mari, sed populo Aegyptio. Quamobrem hunc locum nostri, qui pro « quae » « qua » scripserunt, quod est in quibusdam codicibus, deterioribus quidem, bene emendarunt.

10 Caesaris visens monimenta magni
Gallicum Rhenum horribilesque ultimosque Britannos

Quae ad hiatum tollendum omnium primi nostri coniecerunt (« horribilesque et » « horribiles et » « horribilesque in »), prorsus esse reicienda Hauptius (Op.

(1) “ *Aequora* : bedeutet in der älteren Poesie, also auch bei Catull, ohne erklärenden Genetiv stets das Meer „ Iacobyus.

I 97 ss.) demonstravit. Quae autem ab iis excogitata sunt, qui Hauptii coniecturam (« horribile aequor ») repudiarunt, vix digna videri possunt, quae commemorentur. Nam sive scribimus « horribilesque Celtas, Atque» (Froel.) sive « horribilem sequi ultiMosque » (cf. Ellis. Comm. Exc.), quod qui recipiunt non « visens », sed « nitens » legant necesse est, sive « horribilesque vitro in usque » (Palm. Hermat. VI), ea, ut hoc dicam, corrumpuntur, quae verissima sunt. In Munronis coniectura (G. Rh. horribilem, salum ultimosque) est sine adiectivo eiusmodi nomen, quod, si adsumatur, adiectivo maxime egeat; in coniectura Coningtonis (horribilem usque ad) male verba collocata sunt; « horribilem insulam », quod coniecit Ellisius (Edit.), cum « ultimos Britannos » ante scriptum sit, redundat. Non idcirco Hauptium, quem quam plurimi secuti suut, probare possum. Non solum « aequor » et « horribile » ea verba non sunt, ut Ellisius animadvertit, quae optime inter se congruant: sed cur fiat mentio maris, hoc ipsum non perspicio. Monumenta designantur, quae fidem faciant de rebus a Caesare praeclare gestis. Bene igitur mentio inicitur de Rheno, si et eum transire facinus fuit magnum audaciaeque plenum (*cum videret Germanos tam facile impelli, ut in Galliam venirent, suis quoque rebus eos timere voluit, cum intellegerent et posse et audere populi Romani exercitum Rhenum transire.* B. G. IV 16, 1) et talis transeundi ratio, ut dignitati populi Romani maxime consuleretur (*sed navibus transire neque satis tutum esse arbitrabatur, neque suae neque populi Romani dignitatis esse statuebat. Itaque, etsi summa difficultas faciendi pontis proponebatur propter latitudinem, rapiditatem altitudinemque fluminis, tamen id sibi contendendum aut aliter non traducendum exercitum existimabat.* IV 17, 1-2). Bene mentio de Britannis, in quorum insulam primus

Caesar venit, cum illo praeter mercatores adiret nemo, neque his ipsis quicquam praeter oram maritimam atque eas regiones, quae essent contra Gallias, notum esset (B. G. IV, 20, 3). At ad res a Caesare gestas num hoc pertinet, quod post diem quartum, quam est in Britanniam ventum, naves XVIII, quae appropinquarent Britanniae, tempestate subito coorta, cursum tenere non potuerunt, sed sunt aliae eodem, unde erant profectae, relatae, aliae ad inferiorem partem insulae, quae est propius solis occasum, magno sui cum periculo deiectae (B. G. IV, 28)? Aut num hoc quod eadem nocte, cum esset luna plena, ob eamque rem, id quod incognitum erat Romanis, maritimi aestus maximi fierent in Oceano, longas naves, quibus Caesar exercitum transportandum curaverat, aestus complevit, et onerarias, quae ad ancoras erant deligatae, tempestas adflictavit, ut complures naves fractae sint, reliquae, funibus ancoris omnibusque armamentis amissis, essent ad navigandum inutiles (Ib. IV, 29)? Itaque Rheni tantum et Britannorum, ut ego arbitror, mentio fieri debuit.

Sed Caesar Oceani vim etiam proximo anno expertus est, cum iterum in Britanniam traiecit. Ad portum Itium, quo pervenerat cum legionibus, cognovit naves LX tempestate reiectas eodem, unde essent profectae, revertisse (Ib. V, 5, 2). Cum navigaret in Britanniam et leni Africo esset provectus, media circiter nocte vento intermisso, cursum non tenuit et longius delatus aestu orta luce sub sinistram Britanniam relictam conspexit (Ib. 8, 2). Postero die, cum hostes iam et repulsi essent et in fugam conversi, nuntiatum est ei, superiore nocte, maxima coorta tempestate, naves, quas ille in litore molli atque aperto deligatas ad ancoras reliquisset (Ib. 9, 1), prope omnes adflictas esse atque in litore eiectas, quod neque ancorae funesque subsi-

sterent neque nautae gubernatoresque vim tempestatis pati possent (Ib. 10, 3). In ipso e Britannia in Galliam reditu Caesar non caruit omni molestia. Nam ex navibus, quae, prioris commeatus militibus expositis, ad eum inanes ex continenti remitterentur (duobus enim commeatibus Caesar exercitum reportare instituerat) perpaucae locum ceperunt, reliquae fere omnes reiectae sunt (Ib. 23, 4). Oceani igitur tempestatibus Fortuna Caesarem vehementer exercuit, cui ille in omnibus casibus repugnavit atque obstitit. Quae cum animo intueretur Catullus, cur fieri non potuit, ut propter opimum quoddam dictionis genus inter eius monumenta ipsum Oceanum collocaret? Quamobrem mentionem maris, si placet, dictioni tribuamus: sed illud erit statuendum, carmen hoc scriptum esse post bellum iterum Britannis illatum. Nam si antea est scriptum, nescio an nemo hanc causam, quam ex orationis genere petimus, satis esse arbitretur. Hauptius certe non arbitraretur (ei enim dictionis in mentem non venit), qui non priorem solum Britanniae expeditionem, sed posteriorem etiam consideravit (1). At post hanc Catullum carmen composuisse non constat. Quod qui scriptum tenent post priorem, quia Indi Hyrcani Arabes

(1) Suetonium, classem Caesaris *vi tempestatis prope absumptam* narrantem (Iul. 25), utriusque expeditionis rationem habere plane intellegitur. Qua in re operae pretium est animadvertere, propter prioris expeditionis tempestatem duodecim naves amissas esse (*quae gravissime adflictae erant naves, earum materia atque aere ad reliquas reficiendas utebatur et, quae ad eas res erant usui, ex continenti comportari iubebat. Itaque, cum summo studio a militibus administraretur*, DUODECIM *navibus amissis, reliquis ut navigari commode posset, effecit.* B. G. IV, 31, 2-3), propter tempestatem posterioris circiter quadraginta (*ipse ad naves revertitur; eadem fere, quae ex nuntiis litterisque cognoverat, coram perspicit, sic ut, amissis circiter* QUADRAGINTA *navibus, reliquae tamen refici posse magno negotio viderentur* V. 11, 2).

Sacae Parthi Aegyptii—contra quos anno LV a. C. n. M. Crassus et A. Gabinius ingens pararunt bellum (cf. Momms. R. G. III 315, Schw. Quaest. Cat. p. 128)—in eodem nominentur, non levi, ut puto, argumento nituntur.

Accedit quod Hauptii coniectura aliquantum dissentit a codicum litteris. Qui ex eo quod alii codices haberent « horribiles », alii « horribilesque », illud effecit, verbum « aut scriptum fuisse ad agnoscendum difficilius aut ex parte oblitteratum ». At cur librarii « horribiles » legere omnes potuerunt? Itaque ego non iudico id accidisse, « ut alii librarii *horribilesque* sibi legere viderentur, alii quod dispicere non poterant plane omitterent » (Haupt. O. I. p. 100). Admodum credibile est, cum « horribilesque » esset scriptum, omnes « horribiles » recepisse, « que » non omnes. Illud igitur puto, quod putavit Lachmannus, non esse hoc loco a codicibus recedendum. Si poetae « ultimos » tantummodo appellare consueverunt Britannos, non idcirco veri simile non est, ut ultimos et horribiles (quam appellationem illud Horatii (C. III, 4, 33) *Visam Britannos hospitibus feros,* satis declarat) appellarit Catullus. Qui cum id contenderet, ut Furii et Aurelii amicitiam extollendo irrideret, iure potuit quasi colore quodam ornare orationem. Hiatu autem (v. s. p. 58 et 70) ob eandem causam, reor, usus est, qua non unum, sed duo adiectiva tribuit Britannis. Ad illorum enim horrorem et longinquitatem aliquid accedit, si inter prius et posterius adiectivum quoddam est quasi intervallum. Quae res satis erit perspicua, si cui hos versiculos contenta voce pronuntianti, cum « horribilesque » dixerit, parumper placebit insistere.

XII 6 **crede Pollioni**
Fratri, qui tua furta vel talento

Mutari velit: est enim leporum
Disertus puer et facetiarum.

In versiculo 9 cum omnium optimi libri habent « disertus », tum « dissertus », quod O habet, scriptum est, ut facile intellegitur, propter « s » litterae geminationem. Sed « differtus » aut « difertus », a Passeratio allatum et a Vossio Baehrensio Schwabio receptum (de Pleitneriano « expertus » [S. p. 106] nihil dico), et ex iisdem fere litteris constat, ex quibus « disertus » et non male iungitur cum genetivo (cf. Cic. Font. V 11, *Referta Gallia negotiatorum est*, Har. resp. XIII, 28 *refertam urbem atque Italiam fanorum*, Planc. XLI, 98 *refertam esse Graeciam sceleratissimorum hominum ac nefariorum*, Rab. Post. VIII 20 *mare refertum fore praedonum*). Ego tamen Passeratii emendationem nec veram esse, nec necessariam existimo. Nam si Asinius a Pollione fratre doceri debet, ut debet, rem quidem esse sordidam et invenustam neglegentiorum amicorum lintea tollere, non tam eo opus est, qui plenus sit leporum et facetiarum (itaque ob id etiam male Munro p. 41, qui illud Horatii *si centum puer artium* C. IV 1, 15 adfert, « ducentum » coniecit), quam eo qui facetias et lepores certo iudicio ponderare didicerit. Eodem opus est si, quae in Pollionem cadunt, non ad imperativum (crede), sed ad illud « tua furta mutari velit » referuntur (1). Furta enim mutari velit Pollio, non quod salsus sit et facetus, sed quia, cum salsus et facetus sit, recte intellegit furta fratris insulsa esse et infaceta. Sequitur ut « disertus », quod nonnullis etiam eorum suspectum

(1) " It seems better to explain *disertus l. et fac.* of the whords *furta vel talento Mutari velit*, perhaps the actual expression used by the young Pollio. „ Ellis.

est, a quibus retinetur, verissimum sit, et peritum plane hominem designet. Praeter illud Terentii, quod saepe attulerunt, Eun. 1011, *cállidum et disértum credidi hóminem*, hic Lucretii locus mihi valde considerandus videtur, (II, 986, ss.): *Et ridere potest non ex ridentibu' factus Et sapere et doctis rationem reddere dictis Non ex seminibus sapientibus atque disertis.* Apparet enim id esse diserti hominis, quod periti est et gnari, alicuius rei docte rationem reddere. Nec « disertus » ab omnibus aliis verbis seiungemus. Puer enim disertus idemque leporum ac facetiarum (quae tamen interpretatio non commendatur verborum collocatione) puer est eloquens in dicendo, lepidus ac facetus. Itaque debet « disertus » cum utroque genetivo coniungi. Scilicet cum idem sit ac « gnarus » et « peritus », eodem casu utitur, quo haec adiectiva. Quod nemini mirum esse debet, quandoquidem Latini scriptores, si quod verbum pro alio substituunt, interdum eo vel modo vel casu utuntur, quem postulat non quod electum est vocabulum, sed quod erat eligendum. (v. i. p. 102.).

XIV 12 **horribilem et sacrum libellum,**
Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misti continuo, ut die periret
Saturnalibus, optimo dierum.

Cum omnes fere docti in versiculo 14 post primum verbum distinguant, sive « continuo » censent « statim » significare (vulgo), sive propter Ovidii auctoritatem (Fast. V 734 *continua die*, VI 720 *continua nocte*) idem esse atque « proximo » interpretantur (Palm.), longe absunt a vero. Si proximo die Catullus periturus

erat, ut hoc animadvertam (1), cur Calvus malorum poetarum volumen dono ei misit ante eum diem? Non erat timendum, ne ille ante diem Saturnalium periret? Nec, nisi rebus et verbis vim facere volumus, intellego, quid sibi velit, « ut statim periret die Saturnalium ». Etenim quod aiunt, Calvum ad Catullum mane venenatum volumen misisse, ut hunc statim ipsaque prima luce perderet (2), id subtiliter ab interpretibus exquiritur, non depromitur e Catulliano versiculo. Quomodo aut ipsum « mane » aut aliud simile abesse potest? Calvus optavit, ut eo die Catullus periret, qui dies esset optimus omnium: « continuo » est ab hac sententia alienum. Quocirca verum Baehrensius perspexit, qui post hoc verbum distinctionis notam ponendam duxit. Sic igitur res se habet: Sulla litterator horribilem et sacrum libellum pessimorum poetarum dederat Calvo, Calvus ad Catullum misit, nulla interposita mora (3). Quam si interposuisset, fieri sane potuisset, ut non ipso Saturnalium die Catullus ira disrumperetur. Qua in sententia tantum abest ut sit quod displiceat, ut omnia lepida esse ac venusta reperiamus. Calvus fuit in culpa non solum quod ad familiarissimum suum Catullum misisset teterrimum donum, sed etiam quod misisset, ut primum accepisset. Atque cum paulo ante duo dicantur, et missum mu-

(1) " No istance of *continuo die* (masc.) is alleged „ Ellisius, qui Palmerii sententiam refellit. Cur autem Baehrensius Ovidianum *continua die* " tota die „ interpretetur non video.

(2) " Calvus envoie son présent le matin des Saturnales pour empoisonner aussitôt le bonheur du poëte „ Benoist, Les Poésies de Cat.

(3) A. Guarinus " misti „ et " continuo „ in versiculo (Ed. a. MDXXI) separat, in commentario recte ita sententiam explanat: " Quam primum illum habuisti ad me misisti, quasi dicat: antequam illum legeres. „

nus esse ad Catullum (v. 2), et eo consilio ut hic in iram furoremque impulsus periret (v. 5), quis non probabit aliquid ad unumquodque accedere: ad hoc « Saturnalium optimo dierum », ad illud hoc ipsum « continuo » ?

18 Caesios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena.

Multi ex recentioribus (Lachm. Haupt. Vahl. Schw. Munr. Postg.), Dousam patrem secuti, « Suffenum » genetivum esse numeri pluralis arbitrantur, ob eamque rem censent qua genetivi forma in maioribus poematis Catullus usus sit, ea in hoc carmine uti. Baehrensius, qui quod V « Suffenam » haberet, « Suffena » hoc est « Suffeniana » coniecit, non illud quidem censuit, sed non secus ac qui statuunt « Suffenum » esse genetivum, negat « omnia venena » ad « Caesios » quoque et ad « Aquinos » pertinere. Equidem ego non dubito quin « Suffenum » sit accusativus, itaque comma post hoc nomen poni oportere decerno. Verum tamen a me impetrare non possum, ut Riesio adsentiar, adfirmanti singularem numerum post pluralem varietatis causa Catullum adhibuisse. Non varietatis causa, sed quod aliter de Caesio et de Aquino, aliter de Suffeno iudicaret, ut ego existimo, numerum mutavit. Caesius et Aquinus poetae sunt illi quidem pessimi, multos tamen habent similes; Suffenus, praesertim qua est faciendorum versuum celeritate (cf. c. XXII. 3), cum nullo potest comparari. Pluralis igitur numerus indicat Caesium, Aquinum eorumque similes; singularis unicum Suffenum (1). Quod si

(1) Idem videtur sensisse Benoistius (les P. de C.), qui ita rem breviter explicat: " Si *Suffenum* est au singulier tandis que *Caesios* et *Aquinos* sont au pluriel, c' est que le poëte insiste sur ce nom. "

carmine XXII cernitur ne Suffeni quidem similes deesse, facile est animadvertere in aliis rebus non deesse, minime in fundendis versiculis. Et iam ex ipso loco, in quo de Suffeno mentionem fieri videmus, intellegi potest ei Catullum primas deferre voluisse, Caesio et Aquino secundas.

XV 2 veniam peto pudentem.

Sic censeo scribendum, non librorum auctoritate neglecta «pudenter»,.

9 a te metuo tuoque pene
Infesto pueris bonis malisque.
Quem tu qua lubet, ut lubet, moveto,
Quantum vis, ubi erit foris paratum.

Qui «quantum vis» et «paratum» iungunt (Lachm. Haupt. Vahl. Rossb. Muell. Schw. Baher. Postg. alii) sive post versiculum 11 distinguunt, sive non distinguunt, ii mihi errare videntur. Catullus Aurelio, dummodo unus puer sit ab immani huius libidine incolumis, hanc dat facultatem, ut pueris omnibus nefaria offerat stupra. Utrum igitur magis est consentaneum eum dixisse: moveto penem, qui sit procul a puero ad omnia paratus (cf. Ov. Fast. I, 437 *deus, obscena nimium quoque parte paratus, Omnibus ad lunae lumina risus erat*), qua, quomodo vis, an: moveto penem, procul a puero, qua, quo modo, quantum (= aut multum aut non multum) vis? Accedit quod, si «paratum», et «quem» inter se iuncta esse statuimus, locum relinquimus ambiguitati, cum nihil impediat, quominus intellegamus, Aurelii penem ipsum sua sponte extra pueri domum tantummodo paratum esse. Itaque

eorum mihi sententia probatur, qui « quantum vis » et « moveto », « foris » et « paratum » inter se iungunt. Verum, ut ego opinor, nec « paratum » illo « praesto est », quod reperitur apud Horatium (*tument tibi cum inguina, num si Ancilla aut verna est praesto puer... malis tentigine rumpi?* Sat. I, 2, 116), quoniam non est idem verbum, satis confirmatur, nec ii penitus Catulli mentem introspiciunt, qui solum post prius et posterius « lubet » et post « quantum vis » interpungunt. Ad « paratum » illustrandum haec adfero : *Omnis res parátast et nos, quíbus paratumst, ádsumus* Plaut. Curc. 353. AN. *Sane hércle, ut dicis, séd interim de súmbolis quid áctumst?* CH. *Parátumst* Ter. Eun. 607. Ex quibus apparet Catullum non aliter de nefariis Aurelii voluptatibus, loqui, ac si sermo sit de cena. Huius autem loci sententia tum tota tenebitur cum in versiculo 11 aut ante tertium verbum (« qua ») aut post extremum distinctionis nota erit posita. Catullus igitur aut dixit : moveto, quantum vis, penem, et tamquam intra parenthesis signa « qua lubet, ut lubet » interiecit, aut : moveto qua quomodo lubet, et, ut aliquid ad rem accederet, antequam effrenatae Aurelii libidini terminos, ut ita dicam, constitueret, extra quos ea egredi non posset, « quantum vis » non sine aliqua vocis contentione addidit. Sive hanc sequimur interpretationem, quam me magis probare fateor, sive illam, quanta vis insit in duplici « lubet », nam hoc etiam placet animadvertere, nemo non videt. Quamobrem male nonnulli non « ut lubet » restituendum, sed retinendum « ut iubet » (quod auctoritate codicum confirmaretur, nisi tam saepe librarii « i » pro « l » scriberent), moleste prudentes, existimant.

XVII 14 **Cui cum sit viridissimo nupta flore puella**
(Ut puella tenellulo delicatior aedo

Adservanda nigerrimis diligentius uvis),
Ludere hanc sinit ut lubet.

Pro « ut », quod fuit in V, restituendum arbitrati sunt Heinsius « sit » aut « sed », Doeringius « ah », Lachmannus « est ». Reliqui, de recentioribus enim loquor, « et » scribunt; quod ut nonnulli codices habent, ita iam A. Guarinus defendit (1). Omnino ad sermonis Latini consuetudinem pertinet (nam per errorem scriptum esse « ut » facile concedi potest, v. s. p. 57), ut illud verbum iteretur, et quidem praeposita particula « et », cuius vis sit quodammodo augenda. Non tamen puto hunc locum satis his exemplis confirmari, quae adferri videmus: Verr. V. 46, 121 *Errabas, Verres, et vehementer errabas*, Mil. XXIII, 61 *Magna vis est conscientiae et magna in utramque partem*, Cat, II. 8, 17 *De uno hoste loquimur, et de eo hoste, qui iam fatetur se esse hostem*, Verr. III, 26, 65 *Sterni triclinia, et in foro sterni iubebat*, Varr. RR. II, 7, 2 *Eiciunt et totidem eiciunt*, Pomp. Inscr. 1819 *Suavis vinaria sitit, rogo vos, et valde sitit*. Etenim si quo modo haec interpretari licet, eodem modo Catullianum versiculum interpretamur, Catullus dicit, municipi suo eam nuptam esse, quae sit non solum puella, sed puella delicatissima. Quod quam sit falsum, omnes sentiunt, cum non possit nisi puella esse nupta, quia apud Latinos scriptores feminae, quae in alicuius amore aut sunt aut esse possunt, sive sunt virgines innuptae (nam virginis nomine etiam mulier designari potest, quae sit in matrimonio collocata, cf. Hor. C. I 8, 22 *virgines nuptae*), sive uxores, sive matres, quae sunt matres nonnumquam iam adulescentium filiorum, appellari solent puellae. Itaque sic erit intellegendum, eam municipi nuptam esse, quae

(1) " Et puella: sic legendum, non ut puella ".

sit cum puella viridissimo flore, tum delicatior tenellulo aedo. In nullo igitur ex allatis exemplis cum verbo, quod paulo post iteratur, aliud verbum, quo ad notionem, quae illi subiecta est, iam aliquid accedat, coniunctum esse reperimus: in Catulliano versiculo «puella» est cum illo «viridissimo flore» conexum et, quamquam «puella» tantum iteratur, etiam «viridissimo flore», quod non iteratur, opus est intellegere. Sed hoc adfert Riesius: *hostis et Hannibal hostis* (Liv. XXVI 43, 17). Si ante «et» particulam «alienigena» addiderimus, ut scriptum est apud Livium, Catulli locus Livianae sententiae simillimus multis videri poterit. Nam nec «hostis» ab omni alio verbo segregatum videmus, nec «alienigena», quocum «hostis» iunctum est, iteratur. Hanc tamen similitudinem si quis investigare volet, non reperiet. Cum enim «puella» non possit solum intellegi, «hostis» sane potest. Operae pretium est totam Livii sententiam considerare: *Cum hostis alienigena in Italia esset, et Hannibal hostis, et cuncta bello arderent, omissis omnibus, omisso ipso Hannibale, ambo consules et duo consulares exercitus ad Capuam oppugnandam miserunt.* Idcirco igitur Vibius Virrius non «hostis» modo dixit, sed etiam «alienigena», quod tum Romanorum hostis esset non Hannibal solum, verum etiam populus Campanus. Ita rem quidem interpretari atque explicare licet: «cum esset alter hostis, isque alienigena, et Hannibal hostis». Multos ego Ciceronis locos colligere et expendere volui: hunc unum repperi, qui cum Catulliano posset quodammodo comparari, Prov. Con. X, 25: *Cur igitur exspectem hominem aliquem, qui me cum illo in gratiam reducat? Reduxit ordo amplissimus, et ordo is, qui est et publici consilii et meorum omnium consiliorum auctor et princeps.* Nam et ad substantivum (ordo) accedit adiectivum (amplissimus) et non adiectivum etiam, sed tantum substantivum iterum dicitur: tamen

ne hoc quidem exemplum apte in Catulli versiculum quadrat. Ordo opponitur homini, itaque sententiae vis est tota in ordinis nomine posita: « amplissimus » demitur sine ulla sententiae offensione. Quo adiectivo usus est Cicero, ut mihi videtur, tamquam quodam orationis pigmento, praesertim cum et ordo amplissimus (cf. Phil. XIII 11, 25, Pis. VIII, 17) et amplissimi ordines (cf. Har. resp. XXI 45, Mil. II, 4) saepe apud eum commemorentur. Videlicet Ciceroni satis non fuit opponere homini ordinem: amplissimum ordinem alicui homini opponere voluit. Nescio id exemplum invenirine possit, quo emendatio versiculi, de quo disputo, satis confirmetur. Sed ut possit concedo: illud « et puella » non erit reprehendendum. Hoc tamen quaero, num quid novi, « tenellulo delicatior aedo » adiecto, ad eam notionem adiciatur, quae subiecta est illi « viridissimo flore ». Huic rei, opinor, est consequens illa: puella, cum viridissimo flore utitur, sane est delicatior, aut, si Theocritum sequimur, quem hic Catullus imitatus est (XI 20,21 ἁπαλωτέρα ἀρνός), mollior aedo. Itaque puella, insulsissimo illi homini nupta, aedo delicatior appellari videtur, non quod delicatam esse sit eius proprium, sed quia, ut facile intellegitur, omnium proprium est puellarum eiusdem aetatis. Quod si ita res se habet, idem fere commutatis verbis enuntiavit Catullus, quod enuntiarat paulo ante, atque id, ut puto, ad rem melius declarandam et fortasse elegantiae sermonis et concinnitati aliquantum indulgens, siquidem deminutivo superlativum (tenellulo nigerrimis) comparativo comparativum (delicatior diligentius) substantivo substantivum (aedo uvis) respondeat. At si Catullus « tenellulo delicatior aedo » dicens, nihil dicit, quod non sciamus, nihil quod in omnes puellas cadere non possit, « et puella » plane est improbandum. Liceat tamen sic intellegere, tenellulo aedo delicatiorem non esse nisi puellam

quae Catulli municipi nupta est: quid est quod non aliter intellegamus? Itaque pro certo non habeo. « Et » scribi debere. Nullo tamen pacto est « ut », id quod Vossius adfirmavit, « admirantis particula »; quae, si retinetur, causam meo iudicio designat, sicut saepe (ceteros enim scriptores praetermitto) apud Ciceronem, cf. Balb. XIX, 43: *Itaque et adsunt principes civitatis et defendunt amore ut suum civem, testimonio ut nostrum, officio ut ex nobilissimo civi sanctissimum hospitem, studio ut diligentissimum defensorem commodorum suorum*, Phil. XII, 3, 8. *Pudet quartae* (*legionis*) *quae.., non ut consulem et imperatorem suum, sed ut hostem et oppugnatorem patriae reliquit Antonium.* Quamobrem hanc esse duco huius loci sententiam: municeps quidam meus uxorem suam, quae est florentissima puella, quaeque, cum ob hanc ipsam causam delicatior sit tenellulo aedo, maxima eget tutela, ludere, ut ei placet, stultissime patitur. Nec si « adservanda » dixit Catullus, « adservanda est » interpretari debemus. Ex versu enim 14, etsi versiculi 15 et 16 recte parenthesis signis includuntur, versum 16 pendere arbitror.

XXI 5 **simul es, iocaris una,**
Haerens ad latus omnia experiris

Plerique, in his Lachmannus Hauptius Heysius Vahlenus Schmidtius, post Muretum et Vossium « haeres » legunt. Male; nam nisi haec est sententia: cum simul sis et ioceris una (= haereas ad latus), omnia experiris, quid loci possit esse verbo haerendi, non apparet. Quoniam Aurelius est simul cum puero, cum eo iocatur, hoc ipso haeret ad pueri latus. Quod si Terentius dixit (Eun. 373) *Cibum úna capias, ádsis,*

tangas, lúdas, propter dórmias (cf. Ellis.), facile est videre nullo verbo id significari, quod iam sit significatum. « Haereas » in Terentiano versiculo interponatur: non metrum modo violabitur, sed etiam sententia erit reprehendenda, quae reprehendi non debebit, si in Catulli versiculo « cibum cape » aut « propter dormi » addiderimus aut aliud simile.

Nunc ipsum id doleo, quod esurire
Me me puer et sitire discet.

Ita scribit, ut scriptum est in omnibus codicibus, Lachmannus et, apposita cruce, Schwabius et Postgatius. Ac nullam quidem coniecturam, quamquam ad hunc emendandum locum multae factae sunt, invenio, quam probem omni ex parte. Inutile est de iis disputare, quarum sententias aliquo modo falsas esse statim percipimus (« Me meus » Stat. [« ut me absentem esuriat ac sitiat, quod eum haud paulo quam tu liberalius tractarem »], « Meus me » Voss., « Nemeus » Passeratius, qui *ne-funera* LXIV 83 adfert). Qui adiectivum requirunt (« mellitus », inventum ab Handio, Obs. p. 47, et receptum a Riesio atque Ellisio, « ieiunus » allatum ab Huschkio, « tenellus », quod ante voluit post repudiavit Baehrensius) qua necessitate coacti requirant, nescio. « Vae » (« Vae meus » Faernus), ut hoc dicam, ante omnia vocabula poni solet, quibus dolorem significamus. « A » (« Ah meus » Vulpius) non bene ex « Me » syllaba trahitur. « Ah me me », quod protulit Scaliger (qui etiam « ve me me » excogitavit), miror probari Hauptio Muellero Vahleno. Froelichius « A temet » coniecit, Doeringius « A te mox », et « Mox tecum », Munro (p. 50), « A te mei » (« mi », non « mei », quod idem est, scribit Schmidtius, qui Munronem sequitur). At dici, a

quonam futurum sit ut puer esurire et sitire discat, tum tantum esset ferendum (ex se enim intellegitur), cum a Catullo dictum esse constaret. « Meus iam » (Ed. a. MCCCCLXXIII, B. Guar.) et « Una meus » (Heins.), et « Meusmet » (Corr. de Allio, Bergkius), probare non possumus, nisi emendandi versus studium manifesto deprehensum probamus. Restat « Meus mi », quod est apud Meleagrum et Heysium, « Mi meus », quod est apud Rossbachium et Westphalium. Utrumque laudo, si ex litteris iudicandum est; si ex verbis, aliquid redundare sentio. Sed in coniecturis allatis, etiam in earum nonnullis, quae penitus sunt repudiandae, unum ex duobus vocabulis, quae recuperari debent, iam est recuperatum; credo enim Catullum « meus » (=me', « nae meus » habet Ed. pr. et « nemeus » ea quae hac est antiquior) scripsisse: alterum mox, ut puto, recuperabimus, si « hic » ante hoc pronomen reponemus; quod post reponere non licet, cum nusquam Catullus in prima hendecasyllabi sede pyrrichium collocaverit. Animadvertere tamen in omnibus huius carminis versiculis primum pedem esse spondeum (1), nihil est animadvertere, si in primo hendecasyllabi loco, ubi non est spondeus, est aut trochaeus aut iambus. Carminis LI versiculum 13 in suspicionemne vocabimus, quod unus trochaeum pro spondeo habet, cum ex carmine XI (vv. 6,15) perspicuum sit, apud Catullum in stropha Sapphica priorem dipodiam etiam e puris trochaeis constare? Quomodo factum sit ut, cum « Hic » dixisset Catullus, « Me » scriberetur, facile perspicitur. Nam ut saepe in codicibus nullum est inter « H » et « N » litteras discrimen, ita « N » ad « i » litteram addita fit « M » quam facillime.

(1) " Meleager *Meus mi,* während doch in diesem Ged. alle Verse spondeisch anlauten (was auch andere Vermutuugen ignorieren) „ Riesius.

Pronomen autem demonstrativum ad hunc eundem puerum designandum, qui, cum apud Aurelium sit, est a Catullo remotus, etiam in carmine XV (v. 13) adhibitum videmus.

XXII 4 Puto esse ego illi milia aut decem aut plura
Perscripta, nec sic, ut fit, in palimpsesto
Relata.

Ne « referre in » post se haberet accusativum, alii « palimpsesto » emendandum censuerunt (« palimpseston », postquam Marcilius παλίμψηστον voluerat, Lachm. Haupt. Muell. (1) Vahl. Schw. Benoist., « palimpsestos » Baehr. Ries. Schm. Postg.), alii « relata » (« releta » a « leo » ut « deleo » Heins., quem laudat, sed non sequitur, Doer., « notata » Froel., « relicta » Heys., « artata » Munr., « celata » Birt., Buchwes. p. 69). Handius vero (Obs. p. 48), cuius sententiam approbavit Ellisius, id quod habent codices auctoritate Ciceronis defendi posse arbitratur. Sed in locis ab eo allatis (ad Att. VII 3, 7. Rosc. Com. II, 5) recentiores editores accusativum ponunt, non ablativum. Sunt tamen alia exempla, ex quibus efficitur sextum casum non esse improbandum. Praeter illud, quod Ellisius attulit, N. D. I. 12,29: *Democritus, qui..... imagines earumque circumitus in deorum numero refert*, hoc licet adferre, Verr. IV 13, 31: *Hi sunt illi, quibus in tabulis refert sese Q. Tadius dedisse iussu istius Graecis pictoribus.* Catullianum versiculum igitur iam satis confirmatum existimo. In hanc tamen rem non alienum erit diligentius inquirere. Cum « referre in » semper fere copuletur cum accusativo, quid est quod aliquando coniungatur cum sexto casu? Primum id tribuo illi sermonis Latini consuetudini, de qua

(1) " Quamquam rectius, ni fallor, quod placuit N. Heinsio *palimpsestum* „ Praef. p. XVI.

paulo ante locutus sum (p. 91). Qui scribit utitur ille quidem referendi verbo, sed eius animo ea res occurrit, quae ponendi aut inscribendi verbis subiecta est. Atque hoc ex eo etiam conicio, quod, cum « reponere » ablativum postulet, interdum, si idem est ac « referre », cum accusativo coniungitur. Cicero in libro, qui est de Natura Deorum, ut hoc libro utar, dicit II 21, 54: *Non possumus ea ipsa (sidera) non in deorum numero reponere*, III 9, 23 *ne stellae quidem, quas tu innumerabilis in deorum numero reponebas*, III 20, 51 *Cur autem Arqui species non in deorum numero reponatur?* Sed idem dicit III, 19, 47: *Boves igitur et equos, ibis, accipitres... multas praeterea beluas in deorum numerum reponemus.* Itaque ob eam causam hic « in numerum » est, quia Cicero « reponemus » scripsit, in eius vero mentem inciderat « referemus ». Deinde, quomodo mihi persuadeo, locus est ablativo, si non illud dicimus, in tabulas codices libros aliquid referri, sed sermo est de iis, quae in tab. codd. libris, in quos relata iam sint, reperiuntur; hoc est si is qui scribit status notionem non motus animo contemplatur. Quod cernitur in Catulli versiculo. In quo Suffenus non dicitur decem aut plura milia versuum perscripsisse, nec in palimpsestum rettulisse, dicitur decem aut plura milia habere perscripta, nec eadem in palimpsesto relata. Atque hoc iis etiam confirmatur, quae statim explicantur (vv. 5-8), cum quae sit Suffenianorum versiculorum condicio, non quid fecerit Suffenus, ii qui legunt edocentur. Catullianus locus, ut puto, apte comparari potest cum his Ciceronis verbis, Caec. VI, 17: *se.... habere argentarii tabulas, in quibus sibi expensa pecunia lata sit acceptaque relata.* Et quoniam orsus sum ab Handii disputatione, non miror eum illud Ciceronis attulisse, Rosc. Com. II, 5: *non habere se hoc nomen in codicem accepti et expensi relatum confitetur*, quia, si illud « habere » considero, potius quam « codicem », ut scriptum est in editio-

nibus recentioribus, « codice », ut Handius legit, exspecto. Cui ob hanc ipsam causam non repugno, in cap. III, 9 eiusdem orationis (*utrum cetera nomina in codicem accepti et expensi digesta habes an non?*) « codice » reponi iubenti. Sed his omissis, « palimpsesto », quod est in codicibus, in antiquissimis editionibus, apud Muretum Statium Scaligerum Vossium, non mutandum.

6. **chartae regiae, novi libri**
Novi umbilici, lora rubra, membranae,
Derecta plumbo et pumice omnia aequata.
Haec cum legas tu.

Pauci « membranae », quod est in codicibus, retinent, multi, Avantio adsentientes « membrana » scribunt, quorum alii intellegunt « membrana rubra » (Ries. Postg.), alii « membrana derecta » vel « directa » (Stat. Scalig. Voss. Doer. Lachm. Rossb. Heys. Muell. Vahl. Ell.); nam qui « membranae » non nominativum, sed genetivum esse existimantes pro « lora » adferunt aut « coria » (Birt.) aut « lana » (Baehr.), sunt omnino neglegendi. Quoniam autem sequi non possum non modo Munronem, qui, puncto post versiculum 7 posito, sic iungit: « Derecta p. e. p. o. ae. Haec cum legas », ac Palmerium, qui « derecta p. e. p. aequata » intellegit esse « decem milia versuum » (v. 4) — quorum sententias iam egregie refutatas non refello (cf. Ellis. Schm. Benoist.) —; sed ne Benoistium quidem (les P. de C. cf. etiam Rev. de philol.III) « rubra » ad utrumque substantivum (lora, membrana), non ad alterutrum referentem, nec Postgatium (Journ. of phil. 1888) « umbilici et » legi oportere censentem (quo iure hic adfirmat Catullum in hoc carmine substantivo sine adiectivo non uti, eodem contendi potest, item in hoc c. cum duobus substantivis nullum esse adiectivum copulatum); nisi « derecta plumbo » et

« membrana » (si ita legendum est, quod non credo) apte inter se cohaerent, restat ut putem aut « lora » aut « membranae » adiectivum non habere. Atqui « derecta plumbo » et « membrana » non esse inter se coniuncta fidenter aio. Non solum non intellegitur, id quod nonnulli animadverterunt, quomodo in membranis libros tegentibus, lineae plumbo signari potuerint (1), sed etiam « et », quod est in versiculo 8, nisi ita verba conectimus: « omnia derecta plumbo et pumice aequata », mihi videtur esse molestissimum. Etenim nemo non sentit, quae descriptio vel enumeratio demptis coniunctionibus dissolute ab initio processerit, eam dissolute ad exitum venire oportere. Neque « et » ea quae ante nominata sunt et « pumice omnia aequata » (nam tum nihil contra hanc particulam, quae idem significaret quod « et quidem », obicere liceret) ullo pacto coniungit. Coniungeret, si ea, de quibus ante facta est mentio, illud « omnia » complecteretur. Quod complecti non posse apertissimum est. Expoliri enim pumice, ut hoc dicam, aut tantummodo aut certe in primis (2) frontes solebant (cf. Lygd. I, 10 *Pumicet et canas tondeat*

(1) " It is indeed not quite impossible that *membrana* may here = *membranula*, the affixed strip of parchment on which the name of the author and his work was written (*σίλλυβος titulus index*, see Birt. p. 66). It would be natural to inclose such titles within ruled lines „ Ellisius. Sed veri simile non puto Catullum umbilicos lora indices nominasse, de involucris autem, quibus ea volumina custodiebantur, quae propter habitus elegantiam omnibus admirationem movebant, ne verbum quidem fecisse, cum de iis tamen potissimum sermo sit apud poetas (v. i. p. 106).

(2) " In our passage the words I think mean that after the verses had been all fairly written out on their ruled lines, the pumice was applied to remove all inequalities in the writing, all blots, portions of ill-made letters ande the like. For we must remember that in ancient writing the pen used was coarse and thick, the letters were large and irregular compared with our print „ Munro, p. 54.

ante comas, Ov. Trist., I 1, 11 *Nec fragili geminae poliantur pumice frontes, Hirsutus sparsis ut videare comis*, Mart. I 66, 10 *pumicata fronte*), de quibus ante ne mentio quidem facta est. Sunt igitur derecta plumbo ea quae plumbo derigi possunt, dico papyraceas chartas, aequata pumice ea quae possunt pumice aequari. Hoc modo, ut arbitror, aequata sunt et derecta omnia. In quo non est praetereundum, Catullum omnibus locis puellas de Camerio interrogasse videri (c. LV), cum eas in tabernis librariis nec repperisset nec reperire potuisset (v. i. p. 190). Itaque videndum est, utrum lora, an membranae melius careant adiectivo. Quo, si verum sequimur, membranae non egent. Hae aut rubrae erant (Ov. Trist. I, 1, 5. Mart. I, 117, 16. III, 2, 10. VIII, 72, 1. X, 93, 4) aut alio colore (Lygd. I, 9), sed qui libri magni aestimabantur (hinc apparet frustra « delectae » ex eo quod habent codices [« detecta »] Hermesium, Pr. 1889, coniecisse), eos tegebant. Quin Martialis ad huiusmodi libros designandos membranam sine adiectivo nominat, cf. I, 66, 10, ss. *Sed pumicata fronte si quis est nondum Nec umbilicis cultus atque membrana Mercare.* Quapropter cum membranas Catullus commemoret, ob id ipsum efficit, ut de voluminibus cogitemus elegantibus et venustis. Lora vero, sive erant corrigiae, quibus volumina constringerentur, sive indices (1), credibile est ad omnes omnium generum libros pertinuisse, pro librorum autem elegantia ac pulchritudine, cum aliis rebus tum colore

(1) Etsi statui non potest, quid fuerint lora, tamen in *loris rubris* indices libentius, quam corrigias aut aliud intellego. Primum ubi ad librorum ornamenta sermo pertinet, melius, ut ego arbitror, de indicibus, quam de corrigiis fit mentio. Deinde sunt de indicicibus loci quidam omnibus noti, quos saepe allatos video, apud poetas: Lygd. I, 12 *Indicet ut nomen littera facta tuum*, Ov. Trist. I 1, 7 *Nec titulus minio... notetur*, Mart. III 2, 11 *Et cocco rubeat superbus index;* cf. etiam Cic. ad Att. IV 4 b 1.

dissimilia fuisse. Sequitur ut « membranae » non sit, sententia mea, mutandum, sed comma post hoc verbum ponendum (1).

12 **qui modo scurra**
Aut si quid hac re tristius videbatur,
Idem infaceto est infacetior rure.

Quamquam fuerunt qui « tristius » , quod habent libri, adsumerent (Handius et Silligius etiam defendunt, non est dubium, quin scurrae nomen non ad vituperandum adhibitum sit, sed ad laudandum (cf. Munr. Ell. Baehr.). Itaque protulit Puccius « suavius », Pontanus « tritius » (cf.Cic.Fam.IX 16,4 *tritas aures*),quod a Lachmanno receptum, cum id iam recepissent Muretus Statius Vossius Doeringius, approbaverunt multi, Muellerus « scitius », Munro et Peiperus, quos secutus est praeter alios Schmidtius, « tersius », Ellisius « strictius » (= acutius vel argutius) et « cultius ». Sed in his omnibus illud « hac re » manet, quod vocatum est in suspicionem. Negant enim viri docti scurram posse rem putari; nisi quod Muretus facetum Catulli ingenium admiratur,qui scurris naturam hominum et nomen ut indignis, ut ita dicam, detraxerit. Hinc coniecturae, ut Pleitneria-

(1) Ergo Benoistius, quamquam " rubra „ etiam ad illud "membranae „ , ut dictum est, pertinere putat, et totum locum subtilius quam verius interpretatur (Ce qui frappe d'abord, c'est le format *chartae regiae*. Après cela, on peut voir que le papier est neuf, *novei libri*, l'oeil s'arrête au centre de la tranche sur l'extrémité du cylindre qui soutient le rouleau, *umbilici*, puis se promène sur la couverture et en admire d'abord le lien, *lora*, puis l'eveloppe même *membranae*. Il faut bien maitenant qu' on ouvre le livre, et on y trouve *tout*, " omnia „ [excludunturne frontes?] bien réglé, et bien poli à la pierre ponce), ita tamen legit, ut ego legendum existimo. Schwabius et Schmidtius non legunt secus.

num « asse tritius » praetermittam, Scaligeri, quem probavit Froelichius, « hoc retritius » (=παλιντριβές) adferentis, Traubii (Lib. cr.) et Riesii « hoc venustius », Novakii (List. 1886) et Baehrensii « est acutius » scribi oportere existimantium. Ut dicam quod sentio, Mureti defensione reiecta—quae, quia Suffenus non ut vituperetur, sed ut laudetur, appellatur scurra, ferri non potest —, tamen « re », si vim verbi consideramus, improbandum nullo modo puto. In hoc ipso versiculo, cum dicitur « si quid est », iam « si qua res est » dicitur. Neque illud Ovidii Her. VI 21. *credula res amor*, quod protulit Vossius, est neglegendum, cum amor hoc loco idem sit atque « is qui amat ». Sed tamen Catulli consuetudinem plane desidero: nullum praeterea ex adiectivis, quae ii protulerunt, a quibus « hac re » servatur, vehementer probo. Si quid video, ad id dicendum quod, meo iudicio, dicere voluit Catullus, unum est accommodatum « venustius ». Quod cum perfacile ex codicum litteris depromimus, tum confirmat et « venustus », quod est in versiculo 2, et similitudo quaedam soni, quam propter insequens « videbatur » aures percipiunt. Detracto autem « hoc », « est » esse necessario scribendum, ne ego quidem dicere audeo. Iudico tamen ad Catulli consuetudinem nos propius accessuros, si « est », quam si « hoc » scribamus. Nam ad « est » excludendum, non videtur satis esse docere, eum tale verbum post comparativa semper collocasse (cf. XIII 10, XXIII 13, XXXXII 14, LXXXII 2,4). Multo plus hoc valere debet, quod cum eiusmodi comparativis numquam ille substantivum verbum non iunxit. Argumentum ex verborum collocatione petitum nec semper habet vim nec omnibus locis eandem. In carminibus XIII 10, XXIII 13, LXXXII 2,4 « quid » positum est ante comparativum: quod post est positum in versu 14 carminis XXXXII, non idcirco aut hoc pronomen aut totum versum a Catullo abiudicamus.

XXIII 8 nihil timetis,
Non incendia, non graves ruinas,
Non furta impia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.

Sic post Hauptium (Op. I, p. 9) fere omnes. Sed, etiamsi furta, quod saepe mala dicantur, eo recte dici possint impia, nullam esse iustam causam video, quamobrem « facta », quod est in codicibus, respuamus. Etenim alia damna tribuuntur sorti (incendia, ruinae) alia hominum impietati: commemoratis autem illis, haec commemorantur. At doli veneni, inquit, iam ad ipsa impia facta pertinent. Credo: sed sic res se habet: Catullo, mentione de impiis factis iniecta, venit in mentem nihil esse scelestius quam per fraudem alicui, fortasse propinquo aut amico, venenum parare: itaque id etiam exprimit verbis. Non aliam igitur is dicit rem, sed eiusdem rei, ut quod dixit confirmet, illud addit, quod maximum sit. Hoc saepe accidit etiam in sermone communi et cotidiano. Quod si quis hos versiculos apte velit pronuntiare, sic « non dolos veneni » pronuntiet, tamquam si id, quod sibi esset dicendum, subito invenerit, celeriter et contenta voce. Quamobrem a codicum litteris (si, quis in G « c » suppunxerit, non constat, at constat pr. manum « facta » scripsisse; cf. Scw.) declinare non debemus.

27 nam satis beatus.

Praestantius mihi videtur « satis beatu's », quod invenit Bergkius et approbaverunt Rossbachius Ribbeckius (Prol. ad Verg. p. 154) Westphalius Ellisius, (cum C. de Allio Silligius et si qui alii id quod habent codices tuentur), tum Passeratius et Meleager, qui eundi verbum in medium proferunt [« sat is »] plane

sunt improbandi), quam «sat es beatus», quod et coniecit Calpurnius et ut ante Lachmannum ita post receperunt viri docti. Nam concedi sane potest, quod nonnulli arbitrantur, ut Catullus de industria, quia in re comica versaretur, obsoletam orationem et Plautinam contra suam consuetudinem adsumpserit; sed non puto eundem, qui semper dicat «satis» (VII 2. 10, XXVIII 4, XXXXII 15, LXI 132. 232, LXVII 15, LXVIII 17. 38. 147, XCI 8. 9), hic, ubi, ut etiam Ellisio videtur, ne ironiae dissimulantiaeque vis imminuatur, plenis non imminutis verbis opus est, «sat» dicere. Ego Heysii aut ignarus aut immemor «iam satis beatus» conieceram: nunc quaero, scripseritne Catullus: «nam es satis beatus». «Es», quod «satis» sequeretur, perisse non mirer; in versiculo 17 carminis XXXIX periit, ut omnes credunt, quod ante scriptum esset «Celtiber». «Nam» autem bis Catullus elisit (XIII 11, XXI 7), quia bis, non saepius, usus est eo vocabulo.

XXIV 7. **Qui? non est homo bellus?**

Nihil est, quamobrem «quid» (Baehr. Ries. Postg.), quod O habet, scribere debeamus. Primum «qui» est in codicibus, nos vero «cur» intellegere possumus. Etenim notiones causae et modi sic inter se nexae et iugatae sunt, ut, cum interrogantes «qui» dixerint, respondentes «quod» «quia» dicant. Cuius rei plurima sunt apud Plautum et Terentium exempla. Plauti satis erit haec adferre: Amph. 666, AM. *Quí tibi nunc istúc in mentemst?* SO. *Quía enim sero advénimus.* AM. *Quí?* SO. *Quía Alcuménam....* 1034 ME. *Sácrufic ego nunc tibí.* AM. *Quí?* ME. *Quia enim té macto ir fortúnio.* Bacch. 53 BA. *Quí, amabo?* PI. *Quia Bácchas Bacchas métuo,* Terentii haec: Andr. 501 DA... *nc*

qui tibi istaec íncidit suspítio? SI. *Qui? quía te noram* 953 SI. *Nón potest.* PA. *Qui?* SI. *Quía habet aliud mágis ex sese et máius.* Phorm. 330. GE. *Quí istuc?* PH. *Quía non ręte accipitri ténnitur neque míluo.* Quod confirmatur etiam Ciceronis oratione. Nam apud eum « quo modo? » et « quia » coniuncta inter se sunt frequentissime (cf. Tusc. I, 8, 15. *Quonam modo?* M. *Quia, si mori etiam mortuis miserum esset, ínfinitum quoddam... malum haberemus*; ib. 16, A. *Quo modo hoc nihil negotii est?...* M. *Quia... ne mors quidem est malum*). Quin Catullus ipse dixit (LXXII, 7): *Qui potis est? inquis. Quod etqs.* Sed haec pro nihilo habeantur. Cur hoc loco non licet « quomodo » interpretari? « Mallem isti divitias Midae dedisses, inquit Catullus, quam sic te ab illo amari sineres ». « Quomodo, inquit quispiam, hoc dicere potes? Non est Furius homo bellus? ». Quae res nihil prorsus habet reprehensionis. Quod si « hoc dicere potes » scriptum non est, sine labore intellegitur. In versiculo 3 carminis XCII illud « quo signo? » sic interpretamur, tamquam si scriptum sit: « quo signo hoc adfirmare potes? ». Sed nihil erat cur, ut opinor, « quid » Catullus dicere non posset. Quod profecto dixit in versu 37 carminis LXVII, nisi forte, ut vulgo faciebant et nunc post Lachmannum faciunt plerique, « qui », quod est in nonnullis ex deterioribus libris, reponimus.

XXV 4 Idemque Thalle turbida rapacior procella
Cum diva mulier aries ostendit oscitantes.

Non verum, ut Doeringius Handius (Obs. p. 23), alii versum 5 haberem, si aut inepta sententia esset aut aliena; quod nulla est omnino, hoc nullius prorsus fraudem declarat. Neque illud animadvertam, quod animadvertit Palmerius (Hermath. VI) « idemque » et

« cum » ita inter se esse conexa, ut in versiculis 14-15 carminis XXII sunt « idem » et « simul »: sed aliquid deesse, si versus 4, quinto detracto, cum versibus 1-3 comparetur, omnes sentiunt. Coniecturarum autem quibus hunc versiculum aut veteres aut recentiores emendare conati sunt, duplex est genus, cum alii de procella sermonem esse teneant, alii de ipsa Thalli rapacitate. Nullo equidem pacto Pohlio (Sp. I, p. 39) et Mowatio (Journ. of Philolog. 1888) adsentiri possum existimantibus, si versus hic ad procellam referatur, in eoque naves et eae parvae nominentur, illud sequi, ut prior carminis pars cum posteriore maxime congruat. Interdum Catullum carmen, qua sententia ei fecerit initium, eadem concludere, iisdemque fere verbis expressa, quis ignorat? Sed hic, etiamsi in versiculo 5 navium fiat mentio, nisi verborum, nulla esse alia potest similitudo. Quoniam cavendum est Thallo ac providendum, ne aestuet velut minuta navis in magno mari deprehensa, tum principium carminis fini congrueret, cum ille in versu 5 similiter faceret, ut si esset navis. At si id verbum restitui debet, quo navis designetur; non Thallus, qui furta facit, sed ii, qui perpetiuntur furta, navis aut navium similes erunt. Aliud nihil praeterea turbidae procellae comparationi addatur: Thalli rapacitas iam est, ut ego arbitror, sub aspectum paene subiecta. Quae tamen non efficiunt, ut depravata et corrupta verba negem posse ad procellam pertinere. Profecto numquam existimabo aliquid ex iis Catullum dixisse, quae sunt in hisce versiculis: « Cum dira maris hiems ostendit oscitantes » (B. Guar.), « Cum diva (« dia » Mur.) mater (= « Thetis » Mur. aut « Iuno » Stat.) alites ostendit occinentes » (Avant. Mur. Sillig.) aut « oscinentes » (Faern. Stat.), « Cum de via mulier aves o. oscitantes » (Scalig.) aut « ominantes » (Doer.), « Cum clivias (= prohibitorias) Malea a. o. oscitantes »

(Voss.) aut « arce nantes » (Heins.), « Cum devias mare alites o. obnatantes (Heins.), « Cum dira mala per alites o. oscit. » (Schwenchius Philol. XII). Nam nemo peccet in metrum (Guar. et Schwench. tribrachyn ponunt in secunda sede, Scaliger in tertia), nemo reprehendendus sit (sed reprehendendi sunt omnes), quod verba reiciantur quae vera videntur: sed ad procellae rapacitatem in his versiculis quid accedit? Tum igitur versum illum, de quo disputo, recte tribuemus procellae, si eam nacti erimus sententiam, qua vis et furor tempestatis magis exsultet. Quo enim crudelius haec saeviet avidiusque res vorabit, eo improbior videbitur Thalli rapacitas. Etiam planius: ita nunc ille rapacem se praebet, ut rapax est tempestas: si versiculus 5 in procellam cadit, ea Thallus esse debet rapacitate, qua est tempestas, cum rapacior est. Quae quidem sententia in iis inest, quae coniecerunt Pohlius (« Cum dira maris hiems scaphas ostendit aestuantes », p. 39), Mowatius (« Cum diva mater [=Tethys] horias [= naviculas, cf. Plaut. Rud. 910] o. ae. » Journ. of Ph. 1885) Owenius (« Cum dira navitas hiems o. o. » Cl. Review 1890). Sed « navitae oscitantes », nulla re adiecta, non sunt nautae, ut vult Owenius, qui naufragio facto, os aperiant aquamque bibant: in Pohlii et Mowatii versiculis, ut nihil de metro dicam, eiusmodi verba emendantur, quae non sint emendanda.

Sed si suspicari licet versum 5 ad procellam pertinere, non ob eam rem, meo iudicio, pertinet. Atque illud scire opto, quo potissimum tempore Thallus furta faciat, praesertim considerans Marrucinum tum furari aliquid et rapere solitum esse, cum amici essent neglegentiores (cf. c. XII). Quod quin Catullus significaverit, non est mihi dubium cogitanti, oscitantes homines, sive oscitandi causa est taedium, sive est somnus, ea quae circum se accidant, non diligenter attendere.

Verum tamen in hoc quoque genere ex iis quae coniecerunt viri docti, quid probemus, non reperio. Lachmannus, qui « munerarios », nullo alio vocabulo immutato, reponi oportere existimavit, et Hauptius, qui « mulierarios » legendum esse censuit, non a litterarum ductibus modo, sed ab ipsis fere litteris non discesserunt: idcircone invenerunt verum? Quintiliano, Augustum primum « munerarium » dixisse docenti (VIII 3, 34) ne multum sit auctoritatis tribuendum (cf. Ellis. Ed. p. 315); sed, si « munerarios » scribimus, sententia recondita est et penitus abstrusa. Etenim cum Thallo, vel dicam cum eius rapacitate quaenam iis res sit, qui munera gladiatoria edunt, aut etiam iis, si notio recte depromitur ex Glossariis (cf. Ell. p. 314), qui dona largiuntur, non intellegitur. « Mulierarios » autem, etiamsi metrum non violetur, praeterea nihil habeant ponderis ea quae contra disputavit Ellisius (quae quidem non omnia neglegenda arbitror), tamen, auxilio a luna frustra petito (nam Heysius « luna » pro « diva » scribit), facilius a Thalli furtis defendere possumus, quam ab harum rerum existimatorum iudicio. Nam qui sinistram Thalli manum experiuntur sint ii sane muliercularum sectatores: sed hoc loco abest illud, quo eorum mulierositas in medium opportune proferatur. Atque, ut hoc quaeram, quoniam ne Catullus quidem se Thalli eripit rapacitati, ideone non eripit, quod non secus ac ceteri puellas omnes consectetur? Omitto coniecturas, quibus mulier ex « diva » fit « conviva » (« C. cum mero gravis se ostendit oscitantem » Boehmius, Qu. Cat. p. 20), « convivium » (« C. simul viros o. oscitantes » Palmerius, Hermath. VI), « conclave » (« C. cum vicarios o. o » Munr.), « cena » (« Cum c. maior ebrios o. o. » Hermes. Pr. 1888 et 89), aut, si mulieris non exuit naturam, devia (cf. Horat. C. II, 11, 21) viros offendit oscitantes (« Cum d. mulier v. o. osc. » Froelich.), vel oscitantes o-

stendit nates (« Lasciva m. ut n. o. osc. » Froehnerus Rh. Mus. XIII). Satis erit eas perpendere, in quibus « diva » dea furum est aut silentii. Murciam enim desidiae deam significari, ut Augustino (Civ. Dei IV, 16) et Arnobio (IV, 9) comparatis existimavit Munro (Cum d. M. atrieis o. o.) vel deam hilaritatis Mulcebrem, (Cum d. M. pares [= aequales] o. o.), quae num sit, ipse Baehrensius, cui eius venit in mentem, ignorat, nemo profecto arbitratur. Ut patronam furum, Lavernam (Bergkius Rh. Mus. XIX, Palm. Academy 1890, cf. etiam Hermath. VI), ita silentii deam, sive haec est Larunda (Leyserus N. Jahrbb. 1835) sive Angerona (Ell. Munr.), non male designari omnes intellegunt. Cupientem enim Thallum furandi occasionem captare, bene de oscitantibus hominibus aeque dea furum atque silentii monet. Sed nulla est ex huiusmodi coniecturis, in qua nihil debeat refutari. In Munronis versiculo (Cum diva mi [aut « iam »] vicarios o. o.) « mi » alienum est, « iam » supervacaneum. Accedit quod quam non est absurdum, ut ex quodam Martialis epigrammate (VIII 59) colligitur, servorum oscitantiae Thalli furta adscribere (ob hanc ipsam causam, si opus esset luna, ut baluearii [= die Badeknechte] possent conspici dormitantes, « luna balnearios », quod attulit Riesius; fortasse probarem), tam haec diligentia, qua non generatim servi, sed singillatim servi servorum (1) significantur, nimia prorsus videtur. In versiculo, quem Bergkius fecit, « Cum diva muttiens aves o. o. », non solum, utor Ellisii verbis, nescio quid asperi sonat, sed, quorsum illud « muttiens » spectet, non perspicio. Nam si dea intellegi deberet, cuius proprium esset muttire, profecto aliquid explanaretur: quoniam « muttiens ostendit » non aliud

(1) " The *vicarii*, who are often spoken of by writers and in inscriptions, were the slaves of slaves and were employed in any menial capacity „ p. 62.

est nisi « ostendit submissa voce », aliquantum redundat oratio. Quocirca « muta », hunc enim versum proponit Ellisius: « Cum diva muta gavias o. o. », multo est laudabilius. Verum, cum muta sit Larunda, sit Laverna, sit Angerona, quantum est ponderis in hoc adiectivo? Praeterea « gavias » in nullo ex verbis quae habent codices (« aves » « aries » « alios ») veri simile est ut lateat. Quod vocabulum Ellisium, a genere ad speciem profectum, quod illud « aves » nactus esset, arbitror attulisse. Accedit quod, si aves commemorandae sunt, quaenam hae sint, non opus est declarare. Nihil quidem animadvertetur, si declarabitur, sed nihil item, si non declarabitur. Etiam hodie eos, qui se spoliari et expilari facile sinunt, modo proprie quarundam avium nomine designamus, modo universe cum avibus comparamus (cf. si fa spennare come un uccello). Palmerio autem in furacissimis hominibus bene milvorum mentionem fieri (Cum d. milvorum aves o. o.) equidem non negabo, praesertim Plauti auctoritatem adferenti (Bacch. 274, Pers. 409, Poen. 1293, Pseud 852): sed, etsi eius coniectura nihil melius, certe hac nostra aetate, allatum existimo, quaedam recte obici possunt. Primum nescio an Catullianae artis non sit divam milvorum pro Laverna dicere. Minerva quidem non suo nomine, sed his verbis describitur: « sancti incola Itoni » (LXIV 228), verum quantum inter hunc locum et carmen XXV intersit neminem praeterit. Hic loquitur Catullus, ibi Aegeus, alter a consuetudine cotidianoque sermone non discedit, alterum ubertas et copia orationis maxime decet. Deinde illud quaero, Lavernaene sit oscitantes aves omnibus ostendere. Quas iis, arbitror, ostendit qui, ut ait Plautus, unguibus milvinis et aquilinis utantur. Sequitur ut, cum nihil desiderem, si suo nomine Laverna significetur, hic, ubi milvorum

diva, si Palmerium audimus, appellatur, dativo (tibi) non bene careat oratio, praesertim milvis quoque ad avium genus pertinentibus. Quibus perspectis, videamus quid de singulis verbis, quae codices habent, sit existimandum. Verum esse « oscitantes » adfirmare non dubito. Non est solum in optimis libris, sed etiam commode elicitur ex O, qui « ossistantes » habet et ex G, qui habuisse videtur — nunc enim « os. citantes » habet — « osscitantes ». Nam nisi et ibi « s » pro « c » scriptum est (librarium inter « i » ac « t » litteras « s » per neglegentiam inseruisse facile conicitur) et hic fuit « s » geminatum, existimare licet in V « oss^{c}itantes » fuisse. « Ostendit » (O et G « ostendet », sed « ostendit » ceteri libri, praeterea in G « i » supra « e » quidam scripsit) et « oscitantes » non sententia modo inter se concinunt, sed, si primas utriusque vocabuli litteras spectamus, soni quadam similitudine. « Aves », quod B et alii optimi codices habent, ad Catullum pertinere non puto. Hoc vocabulum prolatum est aut ad emendandum « aries » aut ad « alies » explanandum (1). Ut Catullianum autem verbum inveniamus, non « aries », ut censet Munro, perscrutari debemus. In O quidem « aries » est, sed librarium id recepisse,

(1) Non " alios „ (ut nunc est in G et in aliis codicibus), sed " alies „ in V fuisse suspicor, primum propter id quod de G animadvertit Schwabius (" *in* o *littera aliquid erasum et correctum* : *fueratne alies ?* „), deide quia " aries „, quod excogitatum est, ut arbitror, ad " alies „ corrigendum, et " aves „, quod inventum est ad corrigendum " aries „ (si " aves „ scriptum est ut " alies „ explanaretur, iam in dubium vocari non poterit, quod mox concludam, " alites „ esse intellegendum), eiusmodi sunt, ex quibus inferre liceat, verbum, de quo disceptatur, in " es „ syllabam, non in " os „ cecidisse. Et quid magis erat in promptu quam pro " alies „, quod sonaret nihil, " alios „, quod aliquid sonaret, ponere ?

quod esset in versu, quod esset in margine aut inter lineas, id reliquisse, unde colligimus? Si « alies » erat in versu, ob eam rem « aries » praestantius videri potuit, quod huic voci res quaedam subiecta esset, illi non esset. Adde quod G inter lineas « aries » habet, in versiculo habuit « alies » (1). Ego equidem censeo ex « alies » esse Catulli verbum depromendum. Quemadmodum veri simile est eum, qui O descripsit, « aries » adsumpsisse, quod hoc aliquid significaret, sic suspicari licet, quod nihil significaret « alies », esse « aries » inventum. Quid vero est tam facile quam putare olim fuisse « alites »? Et quidem « alites » legerunt Avantius Muretus Statius. Qui furum rapacitatem patiuntur, rectene aves dicantur, nullis singillatim avibus nominatis, supra vidimus. Oscitandi autem verbum ab huiusmodi interpretatione non esse alienum ne dicendum quidem existimo. Nam, etiamsi in aves oscitatio non bene cadere videtur (cf. Ell. Ed. p. 310), homines non oscitantur minus cum aves, quam cum suo nomine appellantur. Nunc illud « diva » videamus. Hoc sane adiectivum esse potest, sed idem esse potest substantivum, deam aliquam ipsum significans. Nobis a Catullo tanto temporum intervallo disiunctis, maxime necessarium videtur eiusmodi verbum quo, quae dea intellegi debeat, perspiciamus. Sed si Thallus eiusque amici, de qua dea sermo esset, sciebant, quid opus erat pluribus? Fingamus Catullum aut alium quemlibet per ludum alicuius deae tutelae (Lavernae, si placet) Thallum iam diu commendare consuesse: dummodo res nota esset amicis, unum proferre divae nomen satis erat.

(1) " Iam prima manus vocabulo *alios* superscripsit vocabulum *aries*, quod in *aues* mutavit g, simul ante hoc *aues* notam *al'* et post u. *aves* verba *ul' aries* add. g. „ Schwabius.

Nec est apud Catullum huiusmodi brevitas inusitata. In c. LXIV (v. 212) divae nomine significatur Minerva, idque ob eam rem, arbitror, quia quae dea designetur, argumentum eius loci declarat, ad quem pertinet illa significatio (v. ad h. l.). Eadem ratione in c. LXIII (v. 3) « dea » dicitur non Cybele, quod deam esse Cybelem ex mentione potissimum perspicuum est nemoris Phrygii. Ipsa molestissima quaestio, quae in c. I ab appellatione orta est patronae virginis, nondum doctos homines torquere destitit, quia omnino fere considerare neglegitur, Catullum de re notissima loqui (v. s. p. 47). Sed, quod plurimum valet, admodum credibile est eius hic deae factam esse mentionem, quam, divae nomine enuntiato, non Thallus modo eiusque amici, sed plane omnes agnoscerent. Nam si Angeronam Catullus designavit (quae non solum *digito ad os admoto silentium denuntiat,* Macrob. S. III 9, 4, sed etiam est ἡ θεὸς τῆς βουλῆς καὶ καιρῶν. Gloss. Philox. p. 12), quoniam illa, ut ex eo intellegimus quod Angeronae feriae, Divae vel Divales in fastis Praenestinis, Divalia in Maffeianis (cf. Mommsen. C. I. L. I, p. 409, Ell. Ed p. 313) nuncupantur, Diva vere proprieque appellari solebat, quid aliud ad hoc nomen accedere debuerit, difficile quidem est dictu. Restat « mulier ». Quod verbum corruptum puto, non tam metro perspecto, quam sententia. In eo, si « diva » est Angerona, nullum huius deae nomen abditum latet: si alterius deae latet, quodnam hoc sit, me reperire posse non spero. Legendumne est, ut Avantius Muretus Statius legerunt, « mater » ? Si divae appellatio in Angeronam cadit, sic matris nomen ei convenire potest, quemadmodum Florae apud Lucretium (V 737), Vestae apud Vergilium (G. I 498) et Ovidium (Fast. V 828). Quin etiam si urbs Roma sub illius erat tutela (1),

(1) „ Ipsi Romani et deum in cuius tutela urbs Roma est, et

iustior causa, quamobrem appellata sit mater, non invenietur. Ita appellari etiam Laverna optime potest, dum concedamus, id quod supra dictum est, huius nomen Thallo ac Thalli amicis cognitum esse atque perspectum. Cogitare enim licet Lavernam non patronam Thallo, sed plane matrem esse constitutam. Cui rei pondus adferre videtur versiculus ille Martialis: *Dirae filius es rapacitatis* XII, 53, 7. Quoquo modo res se habet, si legi non solum pro « alies » « alites » debet, sed pro « mulier » « mater », hoc scripsit Catullus:

Cum diva mater alites ostendit oscitantes.

Rem sane admirabilem! Idem fere versus est, quem olim multi ab Avantio receperunt: nisi quod in diva matre, ut dixi, alii Thetyn, alii Iunonem intellexerunt et, cum alites esse non homines, sed ipsas aves interpretarentur, temere, ut vidimus, « oscitantes » deleto, « occinentes » scripserunt aut « oscinentes ». Sed sive Angerona est « diva », sive Laverna, sive alia dea, matris nomen, ut absurdum non puto, ita reicere facile possum. Quaerendum igitur existimavi, num quid tali nomine aptius posset adferri. A Palmerii coniectura profectus, « milvis » inveni. Itaque oscitantes alites ostendit non dea milvorum nescio cui, sed Diva, quae est Laverna aut Angerona, rapacibus milvis. At quomodo, ubi de Thalli furtis sermo sit, ibi non uni milvo, Thallo, sed omnibus milvis dormitantes aves ostenduntur? Sine

ipsius urbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt. Sed dei quidem nomen nonnullis antiquorum licet inter se dissidentium libris insitum, et ideo vetusta persequentibus quicquid de hoc putatur innotuit. Alii enim Iovem crediderunt, alii Lunam: sunt qui Angeronam „ Macr. (S. III, 9. 4), quem post Mommsenum (C. I. L. I p. 409) Ell. attulit.

dubio si ille furatur unus, « milvis » non est probandum. Sed si in Thallum Catullus invehitur, quod eius furta perpessus sit, cogitat autem vel etiam compertum habet, quo loco is aliena arripere soleat, eodem alios fures versari (qui erant frequentes in balneis [cf. c. XXXIII], Asinius vero [cf. c. XII] amicorum lintea tollebat in conviviis), prorsus non video quid improbemus. Verum tamen mihi non sumo tantum neque arrogo, ut putem ipsum Catulli versiculum a me esse restitutum. Quem si restitui, cui non licebit putare esse restituendum? Hic enim locus, ut omnes fere loci, qui ad mores et res pertinent ab aetate nostra remotissimas nec easdem satis cognitas, ex eorum numero est, in quibus quod inventum iam sit, frustra requiratur.

XXVII 3 Ut lex Postumiae iubet magistrae
Ebriose acino ebriosioris.

Male nonnulli (Baehr. Postg.) propter ea quae de « hiatu Homerico » disputavit Gellius (VI 20 6) « ebria acina » scribunt. Nam saepe Catullus, id quod alii animadverterunt (cf. Pleitn. S. p. 110 et Ries.), eiusdem adiectivi comparativum et positivum in eundem versiculum includit (XXII 14, XXXIX 16, LXVIII 117, XCIX 2. 14). Ego vero adfirmo, aliquid esse in comparatione reprehendendum, si acini ebrietas, Postumiae ebriositas designetur. Etenim cum is sit ebrius, qui plenus sit vini, ebriosus vero, qui soleat esse plenus (cf. Cic. Tusc. IV 12, 27: *dicimus gravedinosos quosdam, quosdam torminosos, non quia iam sint, sed quia saepe... ut inter ebrietatem et ebriositatem interest*, Senec. Ep. XII, 1, 11 *Plurimum enim interesse concedes inter ebrium et ebriosum: potest et qui ebrius est, tunc primum esse nec habere hoc vitium*), non est dubium, quin debeant ebrii cum

ebriis, ebriosi cum ebriosis comparari (1). Gellii autem verbis « acina » (« ebriosa acina », quod est in editione anni MCCCCLXXXV, post Scaligerum Vossium Doeringium legunt Lachmannus Hauptius Muellerus Rossbachius Heysius Vahlenus Ellisius alii) prorsus non confirmatur. Ille enim scribens: *Catullus... cum dicere « ebrio » posset et, quod erat usitatius, acinum in neutro genere appellare, amans tamen hiatus illius Homerici suavitatem, « ebriam » dixit,* docet Catullum « ebria » feminino genere dixisse, « acina » dixisse non docet. Atque illud « ebriosa acino » et A. Guarinus Muretus Statius tuentur et non minus quam « acina » laudat Ellisius. Ego tamen ne ad genus quidem statuendum Gellii auctoritatem adferendam esse iudico. In codice, quem is legit, credibile est adiectivum in « a » litteram (quamquam codices Gelliani habent (2) « ebriosam ») ob proximum « acina » cecidisse, ut in V cecidit in « e » ob proximum « magistre ». Quin etiam codices, quibus usus est Gellius, erant, certe hoc loco, alii integri, alii corrupti: sed ille suavitate Homerici hiatus, quam animo fingebat, in

(1) Si audiendus esset Baehrensius, qui statuit ebriam esse uvae bacam (τὸ γίγαρτον) " suco differtam turgentemque „, ebriosum vero vinaceum (τὰς ῥᾶγας) " in suco natantem eumque avide usque haurientem „, acinum intellegere deberemus vinaceum, non, ut ille etiam intellegit, bacam. Sed intellegi oportere vinaceum, dum in his, quae ad poeticam pertinent, aliquid sentiam, si quid sentio, numquam putabo. Falsum igitur est, ut opinor, ebriosum esse vinaceum, bacam ebriam. Baca est ebria et ebriosa, quemadmodum ebria erat et ebriosa Postumia. Erat ebria, cum erat vini plena, et, quod plena esset saepe, erat ebriosa. Uvae baca dici ebria poterit, si generatim considerabitur eam suci esse plenam, si singillatim esse plenam saepissime aut semper, dicetur ebriosa. Itaque ex ipsa Postumiae comparatione satis apparet " ebriosa „ esse legendum.

(2) In Catulli versiculo; nam in Gellii verbis, quae ex Hauptii emendatione (Op. II. p. 123) transcripsi, pro " ebrio „ libri habent " ebriosi „ et pro " ebriam „ " ebriosam „.

errorem raptus, qui integri essent, eos corruptos (v.s. p. 41) existimavit. Et si Catullum ob nullam aliam causam contra Latinae linguae consuetudinem feminino genere usum esse Gellius adfirmat, nisi ut eam suavitatem versiculo suo conciliaret, quoniam ille, ut vidimus, non conciliavit omnino, quomodo Gellii adfirmatio pro nihilo putari non debebit? Quamobrem illi sunt, sententia mea, probandi, qui, « ebriose » leviter emendantes, « ebrioso acino » scribunt.

XXVIII 6 **Ecquidnam in tabulis patet lucelli**
Expensum, ut mihi, qui meum secutus
Praetorem refero datum lucello?
O Memmi, bene me ac diu supinum
Tota ista trabe lentus irrumasti.

A. Guarino et Scaligero, existimantibus Catullum in codice accepti versus 9-10 inscripsisse, adsensos esse Lachmannum Hauptium Rossbachium Muellerum Westphalium Vahlenum Riesium Schmidtium alios maxime miror. Nam quid significet « datum », erit explanandum. Intellegemusne, id enim omnes intellegi volunt, « tamquam datum »? Ergo Catullus refert lucello, tamquam si sibi datum sit, hoc: « O Memmi, bene me irrumasti ». Quî fieri potest, ut in acceptum referat non quae expenderit, non irrumationem, sed quae ipse, ira accensus, quod irrumatus sit, hoc est quod nullum ligurrierit lucrum, Memmio exprobrat? Poterat quidem et, si placet, facete poterat in accepti codice ea verba inscribere; quae tamen eum non iscripsisse ex illo « datum » perspicimus. Quamobrem ii bene hunc locum interpretantur, qui « datum » idem esse atque « expensum » censentes, sic intellegunt, in tabulas Catullum non quae accepisset, cum accepisset nihil, sed quae expendisset, ea rettulisse. Atque hac potius quam alia sententia opus esse, facile cernitur. Hoc scire vult

Catullus, Veraniolone et Fabullo id, quod sibi, contigerit. Cum ex his autem quaerat, in tabulisne lucri nihil nisi expensa scripserint, quomodo non erit cogitandum, eum quoque nihil nisi expensa scripsisse? Nec praetermitti debet artificium orationis. Comparatio exstat atque eminet cum propter verborum collocationem (lucelli expensum — datum lucello) tum quod in hoc orationis circuitu primus et postremus versus eodem vocabulo (lucelli-lucello) concluduntur. Guarinum et Scaligerum sequamur: ad nihilum recidit artificium. Quod si cui mirum videtur, Catullum, qui cum Veranio et Fabullo loquatur, subito in Memmium invehi, ab eoque statim, ut ad illos redeat, discedere, is dignus esse poterit, qui doctissimus iudicetur — et doctissimi quidem homines (Avant. Mur. Stat.), non unum sed duo epigrammata esse constituunt, alterum a 1 ad 8 versiculum alterum a 9 ad 15—, sed non ostendit, se Catulli animum, qui omni fere impulsu movetur, penitus introspexisse. Quae cum ita sint, post versum 8 interrogationis notam censeo ponendam, nec ulla est ratio, cur versus 9-10 parenthesis signis includantur.

XXIX 6 Et ille nunc superbus et superfluens
Perambulabit omnium cubilia
Ut albulus columbus haut idoneus?

Ita Silligius, quem secuti sunt, praeter alios, Heysius Munro Schwabius Schmidtius. Si « aut », quod est in codicibus, retineretur, sic fortasse intellegi posset, Mamurram per omnium cubilia ambulare, similem albulo columbo aut certe homini ad amores idoneo. Sed cum « aut » scribant, non apparet quae sententia intellegi possit, quae probabilis videatur. Ex quo non sequitur ut « aut idoneus » (codd. « ydoneus ») negem esse funditus repudiandum. Hoc adiectivum, quoniam nullo est

cum substantivo coniunctum, ad illud « columbus » facillime refertur. Deinde quid sibi vult « idoneus », si quam ad rem is, de quo loquimur, idoneus sit, non explicamus? Quod si Horatius ita dicit, C. IV 1, 12: *Si torrere iecur quaeris idoneum* (cf. tamen C. III, 26, 1 *Vixi puellis nuper idoneus*), ex iis quae ante monuit, ad voluptates et amorem se iam non esse aptum, quid intellegendum sit, statim perspicitur. « Aedonis » ab « ἀηδονίς » = philomela, quod allatum est nuper (cf. Journ. Americ. of philolog. 1887 p. 473), « Dioneus », quod iam Guarinus et Muretus, qui pro « columbus aut » scribunt « columbulus », protulerunt (1), vix sunt commemoranda. « Adoneus », quod invenit Statius et plerique sumpserunt (Vossius, ut « disiunctivam particulam » demeret, « Aïdoneus » coniecit), mihi quoque probatur. Si vox obsoletam redolet antiquitatem (cf. Plaut. Maen. 144 *Ubi aquila Catameitum raperet aut ubi Venus Adóneum* — Ellisius « Adonius » attulit (cf. Class. Review. 1888 et Comm.) — hoc meminisse oportet, aliquid et posse et debere concedi nominibus propriis. Quod obiecit Munro (2), Adonidem castum fuisse adulescentem, id, etiam Luciani (dial. Meretr.) auctoritate amota (cf. Ell. Comm.), nullam plane habet vim. Hoc loco idcirco commemoratur Adonis, ut is homo describatur, qui sit et pulcher et florens aetate. Mamurra adulescentiae fines et terminos iam diu transierat, itaque

(1) " Detrita... est una littera e diphtongo, propter metrum: rectum enim erat *Dionaeus* „ Muretus. " Cur paenultimam in *Dionaeus* corripiamus contra omnium, quotquot umquam eo verbo sunt usi, normam? „ Statius.

(2) " Mamurra is effeminate and worn out by debauchery: Adonis is a beautiful boy, the very reverse of effeminate „ p. 97. " I cannot tho' the latest editor Baehrens accepts " Adoneus „ see any suitableness in the comparison of the Catullian Mamurra with the beautiful and chaste Adonis „ p. 110.

ab Adone longe erat dissimilis: ei tamen pecuniam profundenti, non aliter ac si praeter ceteros eximia pulchritudine, ut olim Adonis adulescens, excelleret, ad omnes puellas aditus patebat. Unde perspicuum est « aut » et « aut potius » inter se non differre.

20 **Hunc Galliae timet et Britanniae**

Qui non verum esse hunc versum iudicarunt (Scalig. C. de Allio Barthius alii), satis refutati sunt (1). Quem qui emendare voluerunt, hos iam videamus. Si, cum ea habeat Mamurra, quae « Gallia habebat ante et ultima Britannia », Galliae direptio nec nuntiari potest nec timeri (2) — Muellerus, qui scribit: « Timent Galliae hunc, timent Britanniae », male existimavit, quod multo ante Palladius Fuscus, timeri Caesarem —, si praeterea credibile non est, ut animadverterunt, Ca-

Riesius Baehrensius alii

(1) " Quum Mamurra (vers. 3 seq.) dictus sit habere quod antea *Gallia Comata* et *Britannia* habebat, fieri non potuit ut deinde (vers. 17 seqq.) in enumeratione praedarum, quas Catullus appellat, omitteretur praeda *Gallica* et *Britannica* „ Tartara, p. 28.

(2) " Verbum *timendi*, quod tuentur critici, ab instituta sententia prorsus abhorret: cum timor sit mali appropinquantis, ut Cic. Qu. Tusc. IV, 8 recte adnotavit, Catullus hoc verbo tum demum uti potuisset, si Mamurra in istas provincias profecturus fuisset: at iam reversus erat, iam utramque provinciam expilaverat. Galli et Britanni satis superque experti erant Mamurrae rapinas. „ Bergk. Ind. Sch. a MDCCCLXIII p. IV. Quod si haec vere docet Magnusius (Jahresb. 1887, p. 148): " Man fürchtet Jemanden, dessen Macht und bösen Willen man kennen gelernt hat und dem man daher auch für die Zukunft nicht traut „, non tamen puto eum timorem hic intellegi posse, quem ille interpretari videtur: " Mamurra hat die Provinzen ausgesogen, sie wissen also wessen sie sich künftig von ihm zu versehen haben „. Nam si Galli et Britanni iam omnia amiserunt (cf. " habebat ante „), quid amittere possunt? Num existimabimus Gallos et Britannos timere, ne Mamurra ereptis bonis sit male usurus?

tullum, qui iambos puros numquam immutat, in hunc versiculum spondeum introduxisse (in v. 3 huius carminis nullus est spondeus, sed, quia ambigua mensura utuntur nomina propria [cf. Lachm. Lucr. p. 36], « Mamurra » dicitur brevi prima syllaba, cum producte dicatur ut apud Horatium, S. I. 5, 37 ita apud Martialem IX 60, 1. X, 4, 11), iam multa ex iis conciduht, quae sunt ad hunc restituendum locum exquisita (« Hunc Galliae timent, timent Britanniae » Ald. I. Guar. Mur. Voss., « Timentque G. hunc t. B. » Avant., « Timetque G. h. t. B. » Dousa p., « Timentque Galliae h., timet Britannia » Turneb. [Adv. XII 1], « Hunc Gallia extimescit et B. » Froehn. [Phil. XIV], « Hunc, Galliae, timetis et B ? » Faern. Stat. Vulp. Doer. Sill. Rossb., « Time Britannia h., timete Galliae » Lachm., « Timete G. h. [« hinc » Hermann. Jahrbb. 1838], time B., » Haupt. Vahl., « Hunc hunc timete G. et Britanniae » Hertzberg., « Et hunce [« Eunce » Heys.] Galliae et timent Britanniae » Speng., « Neque una Galliae aut timent B. » Ellis. (1), « Nunc Galliae timent, timent [« timet » alii] B. » Puccius et Perreius, « Nunc Galliae timetur et B. » Froehl. (2) Westph. Schw., « Nunc Galliae minatur et B. » Peiper., « Nunc Galliae voretur et B ? » Pleitner. Pr. 1849, « Nunc Galliae tenentur et B. » Ribbeck., « Nunc Gallia est et ultima Britannia » Schoell.) : quae saepe etiam ob alias causas repudiari debent. Quod autem suspicatur Ellisius (Comm. Exc.) versum 20, si emendetur hoc modo : « Opima » aut « Propinqua Gallia, ultimae Britanniae », cum 21 esse coniungendum, non est minus repellendum quam id, quod excogitavit Bergkius (op. l.), qui, puncto post primum versiculi 19

(1) " It is not Gaul only nor the British isles that fear him " i. e. they are the latest, not the only sufferers by Mamurra's rapacity " Sed v. s. p. 126.

(2) " Ietzt wird er, wie zu befürchten steht, auch noch die Beute aus Gallien und Britannien verschlingen " Münch. gel. Anzeig. 1846.

verbum posito, v. 21 cum vv. 19-20 conexuit (Quem scit amnis aurifer Tagus, Et uncta Gallia ultima et B. Quid hunc (malum) fovetis ?). Etenim, ut Ellisio hoc obiciam, quam bene a Gallia et Britannia, quae aviditatem Mamurrae sine dubio acerbissime ferunt, quaeri possit, quid sit, quamobrem improbum et scelestum hominem foveant, difficile est intellectu. Nec qua sententia hic opus sit, multum erit pervestigandum. Catullus consideravit, quae bona, quas praedas profundae Mamurrae libidines devorarint. Devorarunt paterna bona, praedam Ponticam, praedam Hiberam; recte igitur ille quaeret, Mamurrane, ad suas quidem effrenatas cupiditates explendas, etiam praedam Gallicam habeat et Britannicam. Quae sententia, nisi id ad vivum resecare volumus, in illis inest, quae protulerunt Munro Baehrensius Postgatius: nam Pleitnerum Ribbeckium Schoellium, ut nullam metri rationem habentes, iure neglegimus. At Munronis versiculum: « Et huicne Gallia et metet Britannia » ne nunc quidem probo, cum Schmidtius non « metit », sed « metet » scribit. Nam etsi ea, quae disputavit Ellisius, non omnia in eodem sunt numero habenda, tamen « ne » particulae molestiam non facile demovemus. Accedit quod notio metendi non, ut aiunt, domo deprompta, sed foris petita, contra huius carminis naturam et rationem, mihi videtur. In versiculo vero, quem composuit Baehrensius (Eine Galliae optima et Britanniae) et recepit Riesius, « optima » laudare non possum. Primum vereor ut « optima Galliae et Britanniae » bene appellentur spolia et tributa, quae sunt ab his regionibus aut extorta aut extorquenda. Deinde, nisi versus 3-4 neglegendos censemus, Mamurra non id quod optimum est, sed omnia habet. Nec magis laudo « ultima », quod placuit Postgatio (Eine [Ed., Mnemos. XIV: « Huicne »] Galliae u. et B.). Ego quoque diu multumque dubitavi num « ultima » pro « timet » esset reponendum

sed ob hanc potissimum rem, quod hoc ipsum adiectivum iam in versiculis 4 et 12 esset scriptum. Quod num veri simile erit, ut aliud in his versiculis significet, aliud in extremo carmine, cum utroque loco sit cum eodem substantivo coniunctum? Quaero praeterea quomodo «ultima» intellegi oporteat. Si indignatur et admiratur Catullus, quod ea etiam praeda ad Mamurram pervenerit, quae ex Gallia et Britannia deportata esset postrema, adiectivum redundat. Si Mamurra, qui tertiam iam praedam devorasset, ultima, ea scilicet quam alia nulla sequatur, donatus est, Catullus, cum id agat ut incredibilem Caesaris amentiam, qui incensae Mamurrae libidini omnia dedat, exaggeret, de quarta praeda loqui, non de ultima potest. «Tenet» igitur ego profero. Quod probandum existimo, cum si spectentur litterae, tum si vim verbi sequamur (cf. Cic. Leg. Agr. III 4, 14 *quos [fundos] nunc cum aliquo metu tenet, sine ulla cura possidebit*, Tib. I, 1, 2 *Et teneat culti iugera multa soli*). Itaque tenendi verbo hic idem dicitur (quae res coniecturam confirmat), quod in v. 3 dictum est verbo habendi. Ut autem metri removeatur offensio, «et» particulam traiciemus. Iam restat ut «hunc» videamus. Sed antequam, quid in eo lateat, inquiro, de lacuna breviter dicam; aliquid enim in hoc versiculo perisse omnes intellegunt. Quoniam «hunc», mea quidem sententia, falsum est, non credo, ut vulgo credunt, aliquid ante illud «timet» (= tenet) aut post cecidisse: uno eodemque vitio factum esse suspicor, ut versiculi primum vocabulum corrumperetur, secundum plane caderet. Ac primo «Et iste» eram coniectura adsecutus. «Iste» optimum est (cf. v. 13 *ista vostra mentula*). Si «tenet» Catullus dixit, idem profecto, quis teneret, dixit. Non solum tamen in omnibus fere libris «Galliae et Britanniae» scriptum est, verum etiam Mamurra habet non ipsam Galliam et Britanniam,

sed quae Gallia et Britannia habebat, hoc est Gallorum et Britannorum bona. Sequitur ut pro « hunc » non « et », sed hoc ipsum bona (cf. Cic. Verr. V. 15. 39 *Secuta provincia est, in qua numquam tibi venit in mentem non tibi idcirco fasces ac secures et tantam imperii vim... datam... ut omnium bona praedam tuam duceres*) censeam scribi oportere. Nec ideo negare licet Catullum hoc verbo uti, quod eodem usus sit (paterna bona) paulo ante. Apud quem opus non est dicere, interdum inveniri vocabula sine causa brevi intervallo iterata. Quid si de industria, quo verbo ratiocinationis aut enumerationis fecisset initium, eodem ille finem facere voluit? Nunc venio ad ipsas litterarum formas. B et H inter se mutata reperimus ut in aliis libris (codex Vergilianus, qui Palatinus appellatur, habet Aen. II 286 BAEC, X 163 BELICONA, cf. Ribbeck. Proleg. p. 238) ita in Catullianis (O LXI 1 « obellicon iei » pro « o Heliconiei », LXIII 87 « bumida » pro « humida », XVII 13 «Himuli» pro «Bimuli», V XXVIII,10 « trahe » pro « trabe »). Saepius inter se mutata « o » et « u » videmus. Satis est adferre L 10 « somnos » = «somnus», LIII 3 « meos » = « meus », LXIII 56 « popula » = « pupula », quae habent omnes fere libri, XXXIV 11 « recunditorum » = « reconditorum», quod est in O, XXXVI 11 « punto » = « ponto », quod est in G, et LXIV 283 « corulis » aut « curulis », alii enim codices illud, alii hoc habent, pro « corollis ». Ex « Hunc» igitur nullo negotio depromitur « Bona » , postrema littera excepta (*H*=B *u* =o—n—c). Quae « c » esse visa est, si ob eam ipsam causam, qua « iste » periit, aliquo modo erat deminuta, aut is, qui totum vocabulum corrupit, existimavit se nescio quem errorem esse emendaturum, si « c » in « a » intellexisset. Librarii enim, ut compertum est omnibus, si quod verbum ex litteris conicere cogun-

tur, quas non satis perspiciant, saepe non habent singularum rationem. In omnibus fere codicibus est, ut haec adferam, XXXXIV 7 « espulsus sim » pro « expuli tussim », LXII 7 « hoc eos » pro « Oetaeos », LXV 3 « dulcissimus harum » pro « dulcis musarum », LXVI 11 « quare ex » pro « qua rex » (v. etiam s. p. 34). Hoc autem loco veri simillimum est « hunc » intellectum esse, quod « hunc » esset in versiculo 21. Itaque sic ego sentio, duo puncta post v. 9 poni oportere, et v. 20 esse hoc modo fortasse restituendum :

Bona iste Galliae et tenet Britanniae ?

33 **Eone nomine urbis opulentissime**
Socer generque perdidistis omnia ?

Cum non appareat « urbis » esse ab hoc loco alienum — quod post Scaligerum, « imperator unice » (v. 11) iterum scribentem, repudiatum est cum ab Hauptio, qui « orbis » coniecit, tum a Pohlio, Sp. II, p. XXIX, cui « orbis o pares fame » (« pares insatiabili imperii pecuniaeque cupiditate ») et Baehrensio, cui « usu opum levissimei » in posteriore versiculi 23 parte reponendum videtur —, illud recte statuitur, nihil nisi « opulentissime » emendari oportere. Sed cum ex altera parte iure improbent viri docti et Ellisianum « urbis o pudet meae » et Munronianum « urbis ob luem ipsimae » (=dominae), quod non est tolerabilius, si « ob luem suae » (cf. Ell.) scribimus (quid sibi velit Heysianum « oppidissime », non reperio), ex altera parte « urbis » et « omnia » iungi inter se non debeant (non modo « omnia », id quod nonnulli animadverterunt, ut aliis similibus locis, sic in Vergiliano epigrammate [III 6] cum nullo nomine coniunctum est, sed etiam, cum sermo

sit de praeda Pontica Hibera Gallica Britannica, veri simile non est ut Caesar et Pompeius « urbis omnia perdidisse » dicantur), probabiliter concluditur, aliquid esse restituendum, quod ad duo illa « socer generque », quae sequuntur, pertineat. Neminem tamen eorum, qui hanc emendandi viam ingressi sunt, id quod Catullus scripsit, recuperasse iudico. Omitto obsoletum « o putissimi » (Schm.), a doctis non probatum, sed « o piissimei » (iam Lachmannus « o piissime »), quod protulit Hauptius, Op. p. 15, aut « o piissimi », ut scribunt Riesius Vahlenus Postgatius alii, qui Hauptium secuti sunt, laudare non possum, non quod Cicero neget esse hoc verbum in lingua Latina (Phil. XIII, 19, 43), sed quia non video, quamobrem mentio fiat de pietate (1). « O potissimei » (Muell. Benoist. Herm. Pr. 1889) quid habeat aculei, non satis intellego, siquidem Caesar et Pompeius re vera omnium civium primi fuerunt. Minus etiam aculeatum « inclitissimei » (Pleitn. S. p. 122, cf. etiam Pr. 1849, p. 6) iudico. « Probissimei » (Schw.), sententiam si sequor, non reprehendo; ego vero « optimi viri » scribere malim. « Optimus vir » et « optimi viri » in omnibus fere paginis sunt librorum Ciceronis, qui interdum hac appellatione utitur ad deridendos et contemnendos pessimos homines: Off. II, 24, 87, *de quaerenda, de collocanda pecunia (vellem etiam de utenda) commodius a quibusdam*

(1) Eorum interpretatio, qui " piissimi „ legunt (beide Triumvirn, *socer generque* waren *piissimi*, d. h. gegen einander liebevoll zärtliche Verwandte; aber sie wendeten diese liebevolle Verbindung und den daraus erlangten Einfluss an zum " omnia perdere „. Riesius), subtilior est quam ut vera possit videri. Soceri generique pietas tum bene, ut puto, nominareter, si maxima eorum amicitia iam in gravem inimicitiam aperte se convertisset. Ironia quidem neminem fugeret. Sed nullae tum inter eos, certe palam, exstiterant inimicitiae (cf. Schwab. Qu. Cat. p. 205).

optimis viris ad Ianum medium sedentibus quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur, Quinct. V 19. *Tum iste vir optimus (vereor, ne se derideri putet, quod iterum iam dico 'optimus,).* Quamobrem, quoniam urbis nomine Roma designatur, Caesar et Pompeius omnium Romanorum optimi per ironiam dissimulantiamque appellantur. Neque illa res cuiquam displicere debet, quod socer generque non aperte, sed tecte, non vocabulo, quod ad vituperationem spectet, sed quod pertineat ad laudem exagitentur, cum paulo ante palam gravissimae et crudelissimae inferantur iniuriae. Inferuntur Caesari et tum inferuntur cum in mentem Catullo venit omnes puellas, eas quoque quibuscum sibi res sit aut rem esse cupiat, Mamurram divitiis et corrumpere et esse corrupturum: cum est etiam Pompeius reprehendendus et Mamurrae non singillatim amores, sed generatim atque universe praedarum pecuniaeque dissipationes spectantur, sermo adhibetur minus et vehemens et apertus. Atque veri simile est, ut puto, Catullum magis Pompeium quam Caesarem hoc loco perstrinxisse. Profecto in priore carminis parte tam saevis maledictis Caesarem insectatus est, ut facile credamus, quas in hunc potissimum iniurias iacere vellet, omnes iam illum iecisse. Sed licet etiam suspicari, Catullum Caesarem et Pompeium appellasse optimos viros, ut tamquam stultos in hominum contemptionem adduceret. Dubium non est, quin bonitatis nomine interdum, ut apud nos, apud Latinos derideatur stultitia. De Dionysio illo Syracusanorum tyranno, qui expilatis dis facete illudebat, cum alia tum haec Cicero memoriae tradidit, N. D. III 34, 84: *Etiam mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri, in quibus cum more veteris Graeciae inscriptum esset « bonorum Deorum », uti se eorum bonitate velle dicebat.* Omnes concedent Catullum soceri

generique stultitiam, si derideat, non sine causa deridere. Uterque res magnas suscepit, nationes gentesque extremas imperio populi Romani subegit, omnia perdidit: quam ad rem? ut beneficia et divitias in Mamurram conferret, in eum hominem, qui nihil aliud efficere posset, nisi amplissima patrimonia devorare. An est quisquam qui rectius putandus sit stultus? Ac facilius adducor ut credam stultitiam potius quam aliud derideri, si quae in extremo carmine sunt, magis in Pompeium, ut dixi, quam in Caesarem cadunt. Nec recte nec sapienter, cum Mamurram locupletabant, socer et gener illi quidem faciebant: verum opinio, quam multi de genero habebant (Pompeius, de cuius levitate complures sunt loci in Ciceronis epistulis, in eo epigrammate, quod scriptum est apud M. P. Sacerdotem [v. i. p. 149] non homo esse dicitur, sed ropio vel mentula), ad utriusque stultitiam deridendam occasionem cuilibet potissimum offerebat. Pro « optimi viri » autem quomodo fieri potuerit ut in codicibus « opulentissime » (O « oppulentissime ») scriberetur, facile declaratur. Adiectivum cum substantivo coagmentemus, ex postremis litteris (iri) « mi » (= me), quod sine labore elicitur, eliciamus: omnes ductus, qui in illo « opulentissime » sunt, reperiemus; nisi quod ante « l » litteram abest « u », post vero abest « e » (op [*u*] *l* = t [*e*] *nti* = im *s* = i *si* = u *me* = iri). Si quid esset scriptum, non satis perspiciebatur, nihil negotii erat « opulentissime » interpretari. Primum nulla videri poterat iustior suspicio, quam litterarum propter scribendi per notas consuetudinem omissarum; deinde apud scriptores non raro regiones regna populi urbes opulentae vocantur (cf. Sall. Iug. LIV, 6 *Loca Numidiae opulentissuma* LXIX, *3 civitas magna et opulens;* Caesar. B. C. III 80, 6 *oppido pleno atque opulento;* Cic. Off. II, 77 *omnibus opulentis popu-*

lis, Verr. IV 30, 67 *opulentissimo et maximo regno*, Leg. Agr. II 16, 43 *opulentissimi regni*, N. D. III 33, 81 *opulentissimae et beatissimae civitatis*, Re. II 24, 44 *urbem opulentam refertamque*).

Opinionem Mommseni (R. G. III 315) et Baehrensii post v. 10 versus 21-24 traicientium (Schwabius, qui eo versus 23-24 traiecerat, de sua sententia decessit: Ribbeckium [N. Jahrbb. 1862], qui versus 23-24 inter 12 et 13, 21-22 inter 15 et 16 collocavit, et O Jahnium [Hermes II], qui id, quod nuper Hermesius [Pr. 1889], putavit, duo carmina [1-10; 11-24] esse constituenda, non opus est refellere) satis refutatam existimo. Non possum tamen facere, quin dicam librorum manu scriptorum ordine mutato, certe si praeter versus 23-24 etiam 21-22 traiciantur, id quodammodo manere, quod viris doctis compluribus molestissimum videtur. Nam si, versibus ita traiectis, in illud « vostra », postquam non Caesar modo, sed etiam Pompeius indicatus est, incidimus, Caesare tantum nominato, scriptum est « fovetis ». Quin novum quoddam oritur incommodum. Quomodo enim a Caesare quaeri potest, in ultimane occidentis insula ob eam causam fuerit, ut ingentes Mamurra divitias arriperet atque comederet, cum et ab eo et a Pompeio ante quaesitum sit, num ob id ipsum omnia perdidissent? Hoc probro Caesari illato, nihil iam est addendum. Qui nonne ideo etiam omnia perdidisse dicitur (1), quod in ultimam occidentis insulam se contulisset?

(1) Si ideo Caesar et Pompeius omnia perdiderunt, ut Mamurra uncta patrimonia devorare posset, quoniam hic praedam Ponticam et Hibericam devoravit, Gallicam et Britannicam arripuit et iam est devoraturus, dubitari non potest quin illud " perdidistis omnia „ ad bellum Mithridaticum, ad bellum Lusitanicum, ad res in Gallia a Caesare gestas, ad expeditionem contra Britannos potissimum referri debeat. Quod si in c. XI Britanni quasi quoddam " magni

Catullus hic quoque suam consuetudinem tenet (v. s. p. 48 et 119). In Caesarem, si verum sequimur, odio inflammatus invehitur; sed, cum illi ante oculos etiam Pompei, quem mox inimice insectabitur, caeca et iniusta liberalitas obversetur, nullis Pompeio verbis significato, « vostra » dicit. Atque ob hanc ipsam causam, reor, qua loquendi ratione utetur tum cum de Pompeio faciet mentionem (vv. 23-24), eadem utitur tum cum non facit. Noluit ille quidem hoc modo eos qui lecturi essent ad suam penitus introspiciendam mentem deducere (Catullus, id quod non satis viri docti animadverterunt, quid ipse sentiat, Caesari aperit, ei dico homini, cui omnia sint nota), sed tamen mentem eius etiam ex oratione perspici posse, adfirmare non dubito.

XXX 3 **Iam me prodere, iam non dubitas fallere, perfide:**
Nec facta impia fallacum hominum caelicolis placent.

Versum 4 et 5 non esse post ultimum, ut plerique volunt (Lachm. Haupt. Vahl.), traiciendos (fuit qui eosdem traici iuberet, sed quinto ante quartum

Caesaris monimentum „ commemorantur, vix est dicendum, aliud aliter adfectos de eadem re non raro homines iudicare. Quid si Catullus non quod ipse sentiret, sed quod crederent ac praedicarent multi, in primis Furius et Aurelius, verbis expressit? Atque sunt qui putent in c. XI Caesarem omnino derideri et contemni (" *C. visens monimenta magni.* Su questo *magni* s' irradia la fosca luce di scherno che è in tutta l'iperbolica enumerazione „ C. Giussani, Studi di letteratura Romana, 1885 p. 68). Quod quoniam animadverti, alienum non est monere, etiamsi quae ad Caesarem pertinent ita sint intellegenda, non idcirco ea infirmari, quae suo loco (v. s. p. 86 ss.) disputavi et statui. Nam sive admiratione adfectus, sive communem hominum et in primis Aurelii Furiique opinionem secutus, sive per ludibrium Catullus Caesarem laudavit, huius res et " monimenta „, si ex carmine XI iudicandum est, non sunt nisi Gallicus Rhenus et horribiles atque ultimi Britanni.

collocato) iam alii ostenderunt. Cum autem admodum veri simile sit, quod monuit Muretus, Catullum illud Homeri, Od. XIV 83, *Οὐ μὲν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσι* transtulisse, adfirmantis orationi, potius quam interrogantis, locum esse crediderim; quamquam omnibus compertum est Latinos, si quid vertant de Graecis, non verbum pro verbo reddere necesse habere. Quod si cui ineptum ac supervacaneum videtur hoc monere, invisa esse dis impia hominum facta; suspicari licet aliter visum esse Catullo, praesertim sententia ad Homerum pertinente. Sequitur ut « nunc—placent? » quod protulit Baehrensius, et « num—p? », quod coniecit Schwabius, repudianda censeam. Itaque aut « non » (Richt. Cat. p. 5, Ries.) probabimus, aut a libris, in quibus est « nec », quod retinent Muellerus Munro Schmidtius Ellisius alii, non recedemus. Atque ad « nec » depellendum non satis est adferre, ut puto, hanc particulam usurpatam esse pro « non » antiquis temporibus (cf. Munr. Lucr. II, 23). Quam de industria ad augendam rem credibile est hic esse adhibitam, cum ex altera parte in legum sermone (cf. Cic. Leg. III 3, 6 *magistratus nec oboedientem et noxium civem multa vinculis verberibusve coherceto*, III 4, 11 *Senatori, qui nec aderit aut causa aut culpa esto*) in usitatissimisque formulis (cf. Verg. Ecl. IX 6 *quod nec bene vertat*) eam reperiamus, ex altera eiusmodi sententia efferatur, et hercule ab ipso Homero deprompta, cuius veritas statim hominibus cognita sit atque perspecta. Sed ne opus quidem est docere, quaenam « nec » particulae vis esset antiquissimis temporibus. Nullam enim esse causam existimo, quare « nec » pro « sed non » vel, quod idem est, pro « non tamen » non accipiamus. Hanc particulam id etiam significare multis exemplis cernitur. Quorum nullum aptius mihi videor adferre posse, quam illud, ubi Heracleotes Dionysius

Cleanthi interroganti respondet, quid sit cur falsa esse illa dixerit, quae antea de dolore ipse sensisset (Tusc. II, 25, 60): « *Quia si*—inquit—*cum tantum operae philosophiae dedissem, dolorem tamen ferre non possem, satis esset argumenti malum esse dolorem. Plurimos autem annos in philosophia consumpsi, nec ferre possum; malum est igitur dolor.* » Ergo Dionysius, cum *tamen non* dixisset, atque hoc idem paulo post dicere deberet, ut orationem immutaret, *nec* particula usus est.

5 Quae tu neglegis ac me miserum deseris in malis :
Eheu quid faciant, dic, homines, cuive habeant fidem?

Sic plerique, in his Lachmannus Hauptius Schwabius Ellisius, optimos codices, in quibus « que » scriptum est, secuti : sed male. Hoc pronomen quominus cum illo « facta », quod est in versiculo 4, iungamus, obstat sententia : quominus referamus ad ipsam eiusdem versiculi sententiam, mens et ratio. Nam quomodo numerus pluralis a singulari non discrepat? Referri etiam ad versum 3, quod non omnino excludere Ellisius videtur, qui aliquid excidisse putat, ne cogitari quidem debet. Licetne existimare ita dixisse Catullum : « me non dubitas fallere : hoc tu neglegis », id est « neglegis te non dubitare me fallere » ? « Quom — in malis, Eheu—fidem? », ut interpretatus est Munro, cui vehementer adsensi sunt, ut alios omittam, Baehrensius et Weberus, Qu. Cat. p. 137, minime probo. Nam, etiamsi nihil offendamur, quod « ne » non bene sit collocatum, tamen ratiocinatio, praesertim non brevis, quippe quae duobus versibus contineatur, a commoto conturbatoque Catulli animo prorsus abhorret. Aliud est, si hic non sine magno moerore ac dolore queritur, quod nemo iam sit, cui homines fidem habeant; aliud, si ita ratiocinatur : cum ipse neglegatur ab amico in malisque deseratur, cui homines credant

iam esse neminem. «Quod» (Muell. Schm. Benoist.) et «quos» (B. Guar. Avant. Froel. Richt. p. 5, Ries. Postg. alii) aeque huius loci sententiae convenire adfirmo. Ego tamen «quos» malim. Alfenus enim deos mihi potiús neglegere videtur, quam id, quod in versiculo superiore dictum est, odio illis esse perfidorum hominum scelera.

XXXI 13 **Gaudete vos quoque, Lydiae lacus undae.**

«Lydiae» a Lydis, a quibus Etrusci orti sunt, qui Veronam incoluerunt et regionem proximam (cf. Liv. V. 33. Tac. A. IV, 55), huiusmodi esse verbum, quod commotum incensumque animum deceat, nemo adfirmabit. Atque etiam admodum dedecet, si a tali animi statu nihil est tam aversum quam exquisita doctrina. Sed considerantibus et Ciceronem dixisse «Lydius haruspex» Div. I, 12, 19, et Vergilium «Lydius Thybris» Aen. II, 782, et Horatium «Lydorum Etruscos fines» S. I, 6, 1, et Statium «Lydia ripa» S. IV, 4, 6, illud iure videri potest, potius esse hoc loco minus laudandum Catullum, quam libros pro corruptis habendos. Quod si «Lydiae» recepto, debet et «quoque», quod sententiae maxime est accommodatum, reici ob metrum, et «vosque o», a nostris in medium prolatum (Guar. Mur. Stat. Scal. Voss. Doer. «vosque»), ut Lachmannus censet, adsumi, iam alii animadverterunt apud ipsum Catullum (cf. c. CII, 3) «que» et «quoque» idem aliquando significare. Vereor tamen ut «vosque», sicut est post imperativum collocatum, exemplo illo Propertii IV, 21, 15: *Romanae turres et vos valeatis amici, Qualiscumque mihi, tuque puella vale* satis possit defendi. Etenim apud Propertium non eadem res est, quae apud Catullum. Hic est positum secundo loco id quod ad primum per-

tinet omnino; illic interiecta sententia, qua (metrum enim non considero) aequo animo caremus. Dematur sententia, vel dicam, parenthesis signis includatur: verba erunt collocata suo loco. Si vero « Lydiae » oportet removere, coniecturas, quibus « que » pro « quoque » reponitur, quarum sunt nonnullae etiam ob metrum improbandae, falsas iam habeo. Itaque « lucidae » (B. Guar. Bergk. [Phil. XVI] alii), « limpidae » (Avant.), « ludiae » a « ludio » (« quae perpetuo motu agitantur », Scalig.), « Lariae » (Voss. ex quodam « Hier. Commelini exemplari », Sillig.), « o Libuae » a Gallis Libuis, cf. Liv. V. 35, XXI, 38, XXXIII, 37 (Lachm. Muell. Vahl.), « o luteae » (Froehn. Phil. XIV), « o vividae » (Munr.), « o liquidae » (Postg.) reicio. Restant — omitto enim « hoc die » (Rossberg. N. Jahrbb. 1877) et alias minus probabiles coniecturas — « umidae » (Ries.) « uvidae » (Palmer. Cl. R. 1891) « incitae » (Heys.). Quoniam, amoto «Lydiae», non apparet, quid Catullus dicere voluerit, difficillimum est eius verbum reperire aut, cum repertum sit, aliis atque etiam sibi suadere iam non esse reperiendum. Pleitnerus Baehrensius Schmidtius « incitae » vehementer probarunt: ego « intimae » conieci. Si conceditur, id quod saepe accidisse certo scimus, « l » pro « i », « d » pro « t » (v. s. p. 80) scriptum esse (fieri autem sane potuit ut « d » littera ex posteriore « n » litterae particula cum « t » coniuncta oreretur), quomodo pro « intie » (= intimae) « Lidie » (G et alii codd. « Lydie ») repositum sit, perspicue intellegitur. Sententiam autem non esse alienam omnes facile consentient: nam cum « Gaudete, intimae lacus undae » dicitur, hoc tandem dicitur: « Gaude, lacus, a tuis intimis undis ». Quod attuli adiectivum, id est apud Catullum in versu 177 carminis LXI: *pectore intimo* (cf. etiam XXXV, 15 *interiorem medullam*): eodem usus est Cicero in re non

admodum dissimili: *ex intimis maris partibus*, N. D. *II* 10,26.

XXXII 4 **Et si iusseris, illud adiuvato,**
Ne quis liminis obseret tabellam.
Neu tibi lubeat foras abire,
Sed domi maneas.

Si « illud adiuvato » interpretari licet, ut licet, « hanc mihi fer opem », frustra coniecit cum Turnebus Advers. XII 1 « et iubeto » ac, quod receperunt plerique, in his Baehrensius et Riesius, « adiubeto », tum Ellisius, qui tamen « adiuvato » verum putat, « adlevato ». Nam hoc unum Ipsitilla curare debet, ut pateat domus ianua: si quid aliud erit faciendum, id faciet Catullus (1). Qui autem, concinnitatem versus pro nihilo habentes, « illud » et « iusseris », ut princeps fecit Lachmannus, inter se iungunt, quos video esse multos, versiculum 9 (Verum, siquid ages, statim iubeto) neglegunt, ubi ita « iubeto » positum est, nullum ut ex eo nomen pendeat aut pronomen. Atque ad « illud adiuvato », ut facile intellegitur, unus versiculus 5 refertur. Cuius sententia nihil coniunctum habet cum sententia, quae inest in versiculo 6 et 7. Itaque post illud « tabellam » punctum ponendum arbitror, non, ut omnes putant, comma. Multi sunt apud poetas loci in quibus ante « neu » particulam haec distinctionis nota, quam hic res et oratio postulat, debet poni. Satis erit adferre: Tib. I 2, 33, ss. *Parcite luminibus, seu vir seu femina fiat Obvia: celari vult sua furta Venus. Neu strepitu terrete pedum. I 8 47, ss. At, tu,*

(1) Hac interpretatione id refellitur quod obiecit Baehrensius: " si ei, cuius in re efficienda pars maior minorve est, auxilium praestatur ab aliis, quomodo Catullus, cuius nulla est pars in re v. 5 exposita, in hac tamen ab Ipsimilla adiuvari potest? ",.

dum primi floret tibi temporis aetas, Utere: non tardo labitur illa pede. Neu Marathum torque. I 10, 15, ss. Sed patrii servate lares: aluistis et idem, Cursarem vestros cum tener ante pedes. Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos.

XXXVI 9 Et hoc pessima se puella vidit
Iocose lepide vovere divis.

Conicientibus « ioco se lepide » —sive « se » in versu 9 servant (Scal. Voss.) sive « ne » (Bursianus Lit. Centralbl. 1876) aut « sic » (Postg.) scribunt— « ioco sed lepido » (Heins.) aut « lepide » (Froel.), « iocosis lepide » (Palm. Hermat. VI, Ries.) — « iocose et lepide », ut legunt Guarinus Muretus Doeringius alii, ideo falsum existimo, quod alienum non est a Catullo duo verba sine ulla particula inter se iungere — nihil rectius, sententia mea, obici potest, quam versiculus ille: « Si non illepidum neque invenustum est ». Quo in faciendo Catullum versum 10 spectasse adfirmo. Puella igitur intellexit (cf. LXXVIII, 5 *nec se videt esse maritum*) iocosum se facere votum et lepidum, tale scilicet, quod Veneri displicere non posset: Catullus Venerem orat, ut hoc votum, cum non illepidum sit neque invenustum (« si » causam significat) acceptum et redditum habeat. Quamobrem ut in versiculo 17 duo sunt adiectiva, sic duo sunt in v. 10 adverbia. Neque ullum incommodum in eo est quod, cum adverbio « lepide » « non illepidum » respondeat, adverbio « iocose » respondet « non invenustum ». Quin ex hoc quod haec ita respondent inter se, quid sibi velit « iocose », aperte declaratur. Cuius verbi vim cum non omnes omnino tenerent, quaenam esset carminis sententia non omnes dispexerunt. Atque alio etiam loco Catullus quod iocosum habet, idem habet

venustum. Nam quem Suffenum (c. XXII 12) scurram vel iocorum et plenum et peritum vocabit, id enim sonat «scurra», eundem venustum dicacem urbanum vocat (ib. 2). «Iocose» est «festive». Quo in genere non alienum est dicere nonnumquam et iuncta esse «lepidus» ac «festivus» «lepos» ac «festivitas» (cf. Plaut. Poen. 308 *fácinus.... lépidum et festivóm*, Cic. Orat. II, 56 *oratio lepore et festivitate condita*) et ea quae venusta sint, festiva appellari (cf. Plaut. Ep. 623 *Úsque ab unguiculo ád capillum súmmumst festivíssuma*, Mil. 953 *A lúculentast ác festiva fémina*).

13 Quae sanctum Idalium, Uriosque apertos
Quaeque Ancona Cnidumque harundinosam
Colis.

Sunt qui ita—ut est in codicibus, in editionibus a. MCCCCLXXXI et MCCCCLXXXVI — scribant (Lachm. Ries. Schw. Ell. Postg. alii), sed reperiuntur etiam qui «Urios» corruptum existiment. Nec vero mihi quibus rationibus «Urios apertos» defendi possit, exploratum est. Etenim si Uriam Calabriae urbem, inter Brundusium et Tarentum sitam, quippe quae aperta non sit, nec cum Veneris religione coniuncta, praetermittimus, atque ad Urium «πολισμάτιον Οὔρειον» in ora Hadriatici maris Gargano monti subiectum animum convertimus, in plures quidem incurrimus difficultates. Sit illa sane, repugnante Mela (*Sinus est continuo Apulo litore incinctus, nomine Urias, modicus spatio, pleraque asper accessu* II 4, 66), urbs aperta, si hoc, ut Ellisio videtur, ex his Strabonis verbis effici potest: ἔστι δὲ πᾶσα ἡ χώρα αὕτη πάμφορός τε καὶ πολυφόρος, ἵπποις δὲ καὶ προβάτοις ἀρίστη... ἡ δὲ χώρα εὐδινὴ διὰ τὴν κοιλότητα τῶν πεδίων, at quomodo demonstrabimus

apud eius cives in honore fuisse Venerem? Nam etsi Urium a Diomedeis insulis non longe distat et maxima est in fabulis Veneri cum Diomede coniunctio, tamen nec Urium ad eas insulas pertinet, nec Venus et Diomedes sunt omnibus locis inter se conexi atque coniuncti. Quid adfertur praeterea, quare Urii commemorentur, non Urium? Quod si quis populum pro urbe a Catullo nominari contendat (« Urites » dixit Livius XLII, 48), nullius negotii est intellegere urbium hic fieri mentionem. Eodem accedit quod aperti populi vix recte appellantur. Venus autem quam bene colit urbes, tam male, id quod non fugit Schmidtium « Syros » repudiantem, populos colit. Itaque sic concludo, plurali numero Catullum, nisi necessitate coactum, quod singulari nomen careret, non esse usum. Quo iam refellitur, quod Heinsius coniecit, « Uriosque portus », et probaverunt Hauptius Muellerus Vahlenus, « apertos » improbantes. Quae coniectura eo etiam falsa videri debet, quia « apertos », quod adiectivum aptissimum est ad loci alicuius situm describendum, temere et nulla ratione repudiatur. In « Syrosque » aut « Surosque » a Vossio allatum, de Assyriis cogitante, et receptum a Vulpio Doeringio Heysio Rossbachio Westphalio, in « Hudriosque » allatum a Baehrensio, qui ad portum Veneris sub Hydrunto situm mentem convertit, eadem plane quadrant, quae de Uriis, si populi putandi sunt, nunc dixi: « Hydrii » praeterea Baehrensius ipse in medio reliquit, utrum vocari possent necne « terrae Hydruntinae incolae ». Iam reiectis « Erios » (Marullus, Pontanus, Bembus), quod risum movet, si quis conditorem nescio quem templi Veneris Paphiae interpretetur (1), nec probandum videtur si existimare

(1) " **Aldus olim pro Urios, Erios impressit, de sententia, credo, Petri Bembi, quem audio ita sensisse legendum hoc loco, ac dictos populos sic ab Eria, conditore templi Veneris Paphiae " Statius.**

debemus Heraeos Siciliae montes designari (inter se conferantur Ἡραῖα ὄρη Diod. IV, 84 et Erios), « Acrios » ab « Acra » (Turneb. Adv. XXIV, 41), « Arios », cf. Strab. 511 (Stat.), « Uxios » (Scal.), restat ut consideremus « Chytrosque » a Bergkio, Phil. XXX, et « Thronosque » ab Ungero (cf. Ell. Comm.) excogitata. Throni (Θρόνοι πόλις καὶ ἄκρα.... Μετὰ τοὺς Θρόνους τὴν ἄκραν Ptol. V 14, ἀπὸ Θρόνων στάδιοι ἑπτακόσιοι Strab. 683), cum promunturium sit Cypri, fieri quidem potuit ut a Venere colerentur, sed cultos esse nemo, quod sciam, tradidit memoriae, deinde (vocabulum autem fortasse nimis discedit a codicum litteris) cur nominentur aperti, non perspicio. Etenim illud Ovidii *Zephyro semper apertus Eryx* et illud Statii *aperta cacumina* nihil explanant (1), quandoquidem apud Ovidium non « apertus » est, sed « apertus Zephyro », et « aperta » apud Statium cum venti mentione tum vel maxime opposito « opacos » declaratur (*Ventus uti primas struit intra nubila vires, Lenis adhuc frondesque et aperta cacumina gestat Mox rapuit nemus et montes patefecit opacos*). Sed sint Throni ventis aperti : cur non item Anconam Catullus apertam dicit, circum quam venti omnes flare consueverunt ? Neque Chytri, quae urbs una est ex quindecim Cypri urbibus, de quibus memoravit Plinius (H. N. V 130), quid causae sit cur aperti appellentur, intellego. Itaque « Solosque » censeo scribendum. In hac urbe non dicam veri simile esse, quippe quae ad Cyprum insulam pertineret, religionem Veneris floruisse (idcirco a Solis, quod fuit oppidum Ciliciae in ora maritima positum et quidem apertissimum, mentem averto, quod ibi Veneris fanum

(1) " *Apertos* would then be " open to the wind „ cf. *aperta cacumina* Stat. Theb. VII, 626, *Zephyro semper apertus Eryx* Ovid. F. IV, 478 „ Ellisius.

fuisse non est traditum), sed ea, si Strabonem sequimur, floruit. Ille enim hoc scriptum reliquit, 683 : *εἶτα Σόλοι πόλις λιμένα ἔχουσα καὶ ποταμὸν καὶ ἱερὸν Ἀφροδίτης καὶ Ἴσιδος.* Quae autem urbs digna fuit, quae appellaretur aperta, propter maris sinum, cui adiacet. Hic enim non est modo omnium, qui in insula sunt, apertissimus, sed etiam ex alto ab litore paribus fere intervallis ad urbem, in medio sitam, inflectitur. Quo fit ut intellegamus, quare Amathus (Golgi et Idalium, quamquam ad Cyprum pertinent, in disceptationem venire non possunt, siquidem illa urbs ubi fuerit, ignoramus, hanc mediterraneam fuisse constat) non appelletur aperta. Quin etiam nulli ex reliquis oppidis huiusmodi convenit appellatio. Cnidus enim in angusta terra posita fuit, quae est inter insulam, unde Triopium promunturium in mare procurrit, et peninsulam, quae a septentrionibus Ceramico sinu continetur. Ancona autem et Dyrrhachium fuerunt et sunt, ubi Anconae et Dyrrhachii sinus oriuntur.

Restat ut videamus, possitne « Solos » e litteris, ex quibus « Urios » constat, commode depromi. De posteriore syllaba nihil quidem dico, cum « ios » et « los » idem esse neminem fallat. Ad prioris immutationem explanandam suspicari licet, propter litterarum traiectionem (cf. XXV 11, ubi in codicibus non « inusta » est, sed « insula ») « oslos » olim fuisse scriptum. Locos adferre, in quibus « r » pro « s » sit, supervacaneum esse arbitror: de « u » pro « o » posito supra dixi (p. 130). Sed singulas persequi litteras non oportet. Ne sit ullum de traiectione verbum faciendum. Etiamsi primae duae litterae, quemadmodum mutatae sint, explicare nequeamus (v. tamen p. 68), fieri potuisse ut pro « Solos » « Urios » scriberetur, maioris temeritatis est negare quam adfirmare.

XXXVII 6 **An, continenter quod sedetis insulsi**
Centum an ducenti, non putatis ausurum
Me una ducentos irrumare sessores?
Atqui putate, namque totius vobis
Frontem tabernae sopionibus scribam.

Catullus Egnatium omnesque, quicumque securi sedent in taberna, se una irrumaturum minatur. At quia hic « irrumare » nihil est aliud, nisi « aliquo malo aut poena adficere » (cf. XXVIII 10), illud quaeri debet, quae tandem futura sit ista irrumatio. « Tabernae frontem », inquit Catullus, « sopionibus (si hoc vocabulo usus est) scribam ». Perspicua quidem res est magna ex parte. Ille enim efficiet, ut quid sit taberna, quae non taberna est, sed lupanar, ex ipsa fronte omnes intellegant. Verum, nisi ante statutum erit, quid de illo « sopionibus », quod habent codices, iudicare oporteat, huius loci sententiam non tenebimus totam. In qua investiganda duas quidem vias, ut puto, sequi possumus. Catullus enim aut non dicit, quid in fronte tabernae scripturus sit, aut dicit. Si non dicit, ipsi intellegimus, scripturus est obscena verba. Vocabulum igitur, de quo quaestio est, illud ante omnia significare potest, quo futurum sit ut haec verba scribantur. Sed, ut omittam « titionibus », quod protulit Scioppius, et « sopironibus », quod finxit Vossius, qui « sopionibus » magis probat, etsi utriusque verbi eandem esse vim (« sopitis carbonibus ») constituit; nec « scipionibus » (praeter aliquot codd. et omnium antiquissimam editionem, Mur. Stat. Scal. Vulp. Doer.) nec « scopionibus » (Heins.) acceptum est aut accipiendum. Nam quid est tandem « baculis » — « praeustis » de suo addidit Scaliger (1) — aut « pediculis uvarum » scribere? E-

(1) **Vix est monendum, me quid vocabula significent persequi,**

tiam fuerunt qui crederent « sopionibus » et retinendum esse et cum pronomine (vobis) iungendum. Quod pronomen redundare perspicitur, etiamsi Schoellio (N. Jahrbb. 1880) et Baehrensio adsentiri velimus, qui « sopiones » — cum hoc vocabulum et ea quae sunt sápa (=penis) ac sâpâyant (=futuens), ad antiquam Indorum linguam pertinentia, Osthoffius inter se contulisset — pro certo habuerunt appellari fututores. Restat ut Catullus quid ipse scripturus esset, indicaverit. Sed « vobis pusionibus scribam » (Munro) idem esse quod « scr. vob. adulescentibus » hoc est vestris nominibus vestris imaginibus per ludum deformatis, quis est qui sibi possit suadere? « Sponsionibus » (Heysius, qui sic vertit: « mit Kohlenstöcken », et Hermesius, Pr. 1889, qui profert Cic. Pis. 55 et Verr. III, 132) est a sententia prorsus aversum. Irrumatio malum esse debet, non mali minatio. « Scriptionibus » (Marc. Kochius, Symb. Philol. Bonn. p. 316) et « inscriptionibus » (Hand. Obs. p. 56), nullo addito adiectivo, verba sunt perquam inania. Restant « scorpionibus », quod ex D petivit Lachmannus et adsumpserunt non modo Froelichius, ac Pleitnerus (S. p. 112) — pro « scribam » hic vult « scindam » (1), ille « figam » —, sed Hauptius Rossbachius Muellerus Westphalius Ellisius, « ropionibus », quod attulit Peiperus (Rh. Mus. 1877) et probaverunt Hertzius (N. Jahrbb. 1878) Monsius (Pr.

non quid alii significare arbitrentur. Haec Palladius Fuscus anno MCCCCXCIV scripsit: "*Scipio Graecae, Latine baculus. Minatur autem se frontem totius tabernae scipionibus hoc est mentulis picturum.* Palladius igitur recte Catulli sententiam intellexit, sed scipionibus, nullo alio vocabulo adiecto, mentulas designari nemo facile concedet.

(1) Scorpiones enim Pleitnerus post Westphalium (v. i. p. 149) intellegit machinas bellicas: " Die angedrohte *frontis scissio* erfordert aber zu ihrer Ausführung *scorpiones* oder Wurfmaschinen „.

1884) Schmidtius, denique ipsum «sopionibus», quod idem ac «ropionibus» significare interpretantur, ob eamque rem retinent Vahlenus Riesius Schwabius Postgatius.

Scorpiones cur in medium proferantur, non video. Quod nomen, quia irrumatio esse debet malum, non bene defenditur, non solum si illud conceditur, quod Athenaeum commemorans (695) Ellisius coniecit, alicuius improvisi et necopinati periculi indicium esse scorpionem, sed etiam si statuimus, quod idem Ellisius collatis Athenaeo (246, 614) et Apuleio (Met. IX, 17) statuit, veri simile videri cum adulterorum poena conexos esse scorpiones. Nam Catullus si nihil aliud faciet, nisi scorpionis imaginibus tabernae frontem implebit, non plane irrumabit, sed se esse irrumaturum pollicebitur (1). Nunc venio ad ropiones et sopiones. Ropio, ut apparet ex versiculo in Cn. Pompeium facto, qui scriptus est apud M. P. Sacerdotem, Gr. L. VI, p. 461, K. (*Quem non pudet et rubet non est homo sed ropio)* est, id quod viri docti interpretati sunt, penis. Ad rem enim declarandam, quamquam Sacerdos, in verbo rubendi haerens, alia etiam adfert (*ropio autem est aut minium aut piscis robeus aut penis*), una est notio penis accommodata. Nam Pompeius non cum eo, quod rubro colore sit, comparatur, verum, ut ex

(1) Aliter rem explicat Westphalius: " Scorpiones sind Kriegsmaschinen, mit denen man Pfeile und zerstörende Geschosse gegen eine belagerte Stadt schleuderte, Vitruv. 1, 5... Vergleicht C. seine vernichtenden Spottgedichte sonst mit tela (c. 116,7), so bedient er sich hier des Bildes der scorpiones, mit denen er seine Geschosse gegen die Taberna als die Schutzwehr, hinter welcher die contubernales sicher zu sein glauben, entsenden will; die Worte bedeuten: scribam tabernae frontem versibus velut telis e scorpionibus missis „ p. 144. Sed Catullianum, " fr. t. scorpionibus scribam „ id nullo modo significare posse omnes intellegunt.

iis ipsis intellegitur, quae de Pompeio Sacerdos scripsit (*qui coloris erat rubei, sed animi inverecundi)*, cum eo quod sit et hoc colore et a pudicitia longissime remotum. Detracto autem pene, nescio quid possit cogitari. Sed etiam in Catulli versiculo pene aptius nihil cogitari potest. Egnatius eiusque amici in tabernam conveniunt, ubi puellas omnes et, quod Catulli animum excruciat, Lesbiam ipsam amant: Catullus lupanaris signa in taberna collocans, et ea tam multa quam multa in huius fronte poterunt inscribi, omnibus patefaciet, quid sit taberna, quid qui intro sedent facere consuerint. Non male ille, ut videtur, ulciscetur iniuriam. Ego tamen Catulli sententiam iam totam perspectam esse non puto. Culpa et poena, ut credo, inter se aptae et conexae sunt. Cur Egnatius, sociiqne eius existimare audent sibi solis esse mentulas, sibi solis puellas omnes confutuere licere, ceteros autem in hircorum numero habere? Ob hanc causam, reor, quod eiusmodi sit locus, in quem nemo aemulus facile ingrediatur. Si cuilibet amatori aditus patet, qua tandem in re haec consistit Catulli ultio, omnibus palam facientis tabernam non tabernam esse sed lupanar? Hi igitur idcirco se efferunt insolenter, quod in quadam sint quasi arce inclusi et ab omnium vi atque telis amoti. Itaque si tabernam Catullus lupanaris signis distinxerit, hoc denique effecerit, ut qui intro sint, iam se unos mentulatos putare non possint, siquidem ad eorum puellas atque ad ipsam Lesbiam accedendi facultas tam multis erit, quam multi hac uti volent. Ita ultio est non idonea modo, sed talis omnino, qualem res postulat. Quamobrem duo loci sunt, neque ii ad eundem poetam pertinentes, in quibus, cum eadem opus sit notione, idem verbum praeter unius litterae discrimen reperiatur. Quis negabit veras esse reliquas litteras? Omnibus igitur controver-

siis relictis, satis erit videre, utrum « ropionibus » scribere oporteat, an « sopionibus ».

Si in illo Petronii loco, qui est tam saepe in disceptatione versatus (c. 22, Buech.), « sopionibus » restitui deberet, id quod Schoellius (N. Jarbb. 1880) contra Hertzium (N. Jahrbb. 1878) disputans monuit, non licere duos locos, alterum Catulli, alterum Petronii ex uno, hoc est ex versiculo in Pompeium, emendare, plurimum quidem valeret; quin etiam in eo versiculo, ut idem existimavit, « sopio » non « ropio » scribi oporteret. Sed videamus pro « sopitionibus » sitne « sopionibus » reponendum. Haec sunt Petronii verba: *Cum Ascyltos gravatus tot malis in somnum laberetur, illa quae iniuria depulsa fuerat ancilla totam faciem eius fuligine longa perfricuit et non sentientis labra umerosque sopitionibus pinxit.* Cur ancilla mentulas non modo in labris, sed etiam in umeris Ascylti pinxerit, cum aliis locis non pinxerit, non perspicio. Quam, cum dormientis faciem caligine perfricuerit, labra vero et umeros pinxerit, existimare licet ad haec pingenda non esse caligine usam, atque id, quo usa sit, eo vocabulo significari, quod in corrupto « sopitionibus » abditum latet. Illud « non sentientis » in eam paene me opinionem adducit, ut putem, aliquid tale adhibitum esse ad pingendum, quo facilius quam manu, si manus caligine faciem perfricuit, e somno Ascyltus excitari posset. Nam digiti, ut mentulas pingerent, non gravius labra umerosque premere debebant, quam faciem presserant, ut haec caligine perfricaretur. Quoquo modo res se habet, quibus rationibus adducti « sopionibus » aut « ropionibus » pro « sopitionibus » scribemus? Itaque Petronii loco relicto, est tantummodo de versiculis disputandum.

Ordiamur a metro. Si versiculus, quo perstringitur Pompeius, est, ut primus putavit Hauptius (Op. III . 324), sotadeus, epigrammatis vocabulum a Catul-

liano non discrepat, quoniam « sopionibus » quidem dicimus longa prima syllaba, sed, id quod animadvertit Ellisius, « ropio » duobus modis (rŏpĭ — o, rō — pĭō) metiri possumus. Si vero est non plane versiculus, sed, ut arbitratur Buechelerus (Rh. Mus. XXXV), quod ex elegiaco quodam disticho reliquum sit (*nam*] *quem Non pudet et rubet est non homo, sed ropio*), sequitur ut quae syllaba in epigrammate Pompeiano sit brevis, eadem longa sit apud Catullum. At primum non satis constat epigrammatis versum esse elegiacum. Deinde ponamus eandem syllabam in alio carmine longam esse, in alio brevem: recte Schmidtius haec adfert, quae (v. s. p. 127) vere docuit Lachmannus: *Constat in Lingua Latina vulgaria quaedam vocabula vel nomina et partim vetustate obscurata habere mensuram aut ambiguam aut ab origine sua diversam.* Quod Lachmanni praeceptum, iam multis ornatum exemplis, non alienum est dicere, aliis etiam a Munrone (Lucr. II, 452, III 504) esse locupletatum. Atque eo magis putare licet ambiguam esse primam ropionis syllabam. quod, nominis origine quaesita (si ex uno eodemque fonte, ut quidam volunt, et « ropio » et rubendi verbum manavit, illam esse ut brevem (cf. vet. Ind. rudh. — irá-, ἐ-ρυθ-ρό-) ita longam (cf. vet. Ind. roh—itá—, ἐ-ρευθ-) iure possumus statuere. Sed ne liceat de syllabae ambiguitate loqui: nisi ante decreverimus aliud esse nomen ropionis, aliud sopionis (idcirco non adducor, ut sint duo verba, aliud ex alio profluens fonte, quod, cum idem dicant, ex iisdem litteris constare videntur; quandoquidem in codicibus passim « s » pro « r », « r » pro « s » invenimus), qua in re « ropio » et « ropionibus » reprehenduntur, in eadem reprehendi debent « sopio » et « sopionibus ». Ex quo illud efficio, utrum « sopionibus » an « ropionibus » scribamus, e metro nullo modo apparere. In vim igitur nominis inquiramus.

« Sopio » , si recte comparatur cum Indicis vocabulis, quae sunt « sápa » « sâpáyant » et cum Latinis, quae sunt « sopire » « sopare », quae coniectura adsequimur, ob eamque rem idem significat quod « fututor », facile, ut nonnulli putant, adhibitum est ad penem designandum. Nihil tamen leve obicitur, si quis obiciat in lingua Latina nullum aliud vocabulum inveniri, quod eiusdem sit originis. Quod si « sopio » in sermone erat vulgi, quî fit ut in ea oratione et in iis poematis, in quae sermo vulgi late influxit (id igitur ego animadverto in sopione, quod in ropione Ellisius, Ed. p. 325), nusquam alibi reperiatur ? Nomen autem ropionis recte cum verbo rubendi conferri, etsi quaedam litterarum similitudo neminem fugit, multum abest ut putem. Etenim, existimante Buechelero accidere potuisse, ut in ore vulgi interdum « b » in « p » litteram se converteret, id tamen accidisse, cum nullum huius rei exstet exemplum, mihi suadere non queo. Suaderem, si « ropio », detracta coloris rubri notione, ad penem significandum adhiberi non posset. Sed cur non posset ? Num vocabula, quibus hic significatur, ex colore nomen reppererunt ? Quin etiam non constat ipsene Sacerdos penem attulerit, quod rubro esse colore penem cogitaret, an quod crederet ropionem cum verbo rubendi coniungi debere. Minium certe attulit, quia esset rubrum, nulla vi nominis explorata. Rubere igitur removeamus; iam quid mihi veri simile videatur exponam.

Ego quoque censeo « ῥωπογραφίαν » mitti oportere, et frustra Peiperum monuisse, quae in domorum parietibus, quae in agrorum saepibus colore rubro nulla arte pingerentur, ea «ῥῶπες» appellari esse solita. Sed tamen ego quoque suspicor, nomen ropionis ad Graecam linguam esse referendum atque ad id vocabulum, quod ex eodem fonte manet, ex quo est « ῥῶπες », ad « ῥώπιον » dico. Quod, si aliud est, « ramus » in primis

est. Ramum autem Latini et, quod plurimum valet, poetae comici, interdum pro pene dixerunt (cf. N. Marcellum [I, p. 164 Muell.] duos Novii versiculos adferentem: « GALLULASCERE, *pubescere*. Novius Exhodio: *Púerum mulierí praestare némpe scit, quantó siet Mélior cuius vox gállulascit, cúius iam ramus róborascit* »). Itaque, ut ego arbitror, ad penem designandum, ῥώπιον adsumptum est et Graecum et tralatum, atque ita adsumptum, ut poetas praesertim comicos plurima Graecorum vocabula adsumpsisse videmus, qui ea nequaquam verterunt, sed Latinis litteris scripserunt. Quod si ῥώπιον non est Latine « ropio », sed « ropium » aut etiam — si quis hoc nomine appelletur, qui contemnatur ac pro nihilo ducatur — « ropius », id non est obiciendum. Si Catullus ipse de Graeco vocabulum deduxisset, numquam, fateor, ropionem dixisset: sed non Catullus, mea sententia, deduxit. Nam veri simile est ropionis nomine eum principem usum esse, sive usus est Calvus sive Bibaculus seu quis alius, qui Pompei colorem ad ridiculum convertit. Hic, ut debuit, « ropion » scripsit (ῥ = r, cf. *rumpia* Enn. Ann. 266 [Gell. X 25, 4], *resina* Plaut. Merc. 139, *raphanus* Catull. XV 19); sed « n » littera in exitu verborum a loquendi consuetudine abborrente (apte in hunc locum cadunt ea quae de alia re docuit Cicero, Or. XLVII 157: *impetratum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceret*), « ropio » non « ropion » omnes dicebant. Catullus igitur consuetudini auribus indulgenti libenter obsequens, vocabulum iam vulgi sermone corruptum non emendavit.

Versum epigrammatis Pompeiani ante Catulli versiculum factum esse nemo infitiabitur, qui concesserit nomen ropionis e Graeco fonte, ut posui, fluxisse. Nam cur ad penem significandum verbum adhibitum

est et Graecum et tralatum, non unum ex usitatis? Ne res obscena, opinor, omni integumento careret. Sed non esse Catulli quicquam tegere, hoc ipso carmine cernitur. Quin eius est, si quem insectatur, verbis uti obscenissimis. Ego equidem nescio quam in reprehendendis vituperandisque hominibus rationem is, qui epigramma in Pompeium fecit, sequi consuerit, sed hoc ipsum quod de eo non id, quod de Catullo, adfirmari potest, in re obscurissima aliquid est. Nihil praeterea obstat, quominus ropionis vel dicam ropii nomen ab epigrammatis scriptore penis designandi causa inventum esse existimemus, quandoquidem huiusmodi notio tam est necessaria sententiae, ut eam nullo labore omnes coniectura adsequantur. Quod nomen, ut puto, Catullus non adsumpsisset, nisi eodem antea penis appellatus esset. Etenim etsi in carmine Catulliano hac re aptius cogitari nihil potest, ad eam tamen non omnes mentem ipsi convertunt. Sed quid facile sit obicere, plane sentio. Epigramma, quod est de Pompeio, notumne fuit Catullo? Si Buechelerum audimus, novit aut Catulli carmen is qui hoc epigramma fecit, aut hoc epigramma Catullus (Buechelerus enim non sibi proponit, ut quaerat, utrum hic « ropionibus » vel « sopionibus », an ille « ropio » dixerit prior), et ideo novit, quod « non est homo, sed ropio » simillimum sit Catulliano illi versiculo CXV 8: *Non homo, sed vero mentula magna minax*. Qua ex similitudine nihil mihi cogi et effici posse videtur. Nos quoque saepe in cotidiano sermone, quos pro nihilo habemus, penis nomine appellamus, atque item, ut ita dicam, humanitate detracta (*non è un uomo, ma un c.*). Quin ipsi Latini plerumque negant hominem esse aut mulierem, si quem hominem, si quam mulierem, deridentes et contemnentes, aliud esse adfirmant. Ex multis exemplis, quae ad v. 8 carminis CXV illustran-

dum adferri solent, haec satis erit considerare : Ter. Hec. 214 *lapidem, non hominem*, Cic. Att. I 18, 1 *non homo, sed litus atque aer et solitudo mera*, VII, 13,6 *non hominem, sed scopas solutas*, Petr. 74 *codex non mulier*. Nulla igitus res obstabat, quin Catullus, etsi nihil ad eius aures de epigrammate pervenisset, in Mamurram versiculum faceret. Quod ei erat, iudicio meo, notissimum. Illud enim, ut consentaneum est cogitare, quidam fecerat ex Catulli amicis, et in eum hominem fecerat, qui omnium esset nobilissimus. Eodem accedit quod Pompei honestas oris, quae in epigrammate deridetur, omnibus admirationem movebat (cf. Plin. H. N. VII 12, 53, XXXVII 6, 14, Sen. Ep. I 11, 4). Atque etiam credibile est, Sallustio, memoriae tradenti Pompeium *oris probi, animo inverecundo* fuisse (cf. Suet. Gr. 15), epigrammatis, de quo loquor, in mentem venisse. Quibus perpensis, adfirmo illud epigramma non Catullo solum, sed omnibus fuisse notum. Atque haud scio, an id ipsum potissimum effecerit ut ille « ropionibus » scriberet. Quod verbum, si ita natum est ut exposui, iam non mirabimur, quod nusquam alibi inveniatur. Poteratne usurpari frequenter, cum extra consuetudinem esset sermonis Latini? Ac si graeca est nominis origo, sequitur ut existimari debeat esse et primam eius syllabam longam et epigrammatis Pompeiani versus, ut Hauptius putavit, sotadeos, non elegiacos.

11. **Puella nam me, quae meo sinu fugit,**
Amata tantum quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
Consedit istic.

Quoniam his coniunctis verbis « puella quae meo sinu fugit » haec fere notio « puella mea » subiecta est, male

Statius Scaliger Vulpius Doeringius, contra ipsam metri naturam, pro « me » « mea » scripserunt. « Mi » (Schwabius « mei »), quod excogitavit Heinsius et receperunt plerique, optimum est, si litteras spectamus, si sententiam, non item. Nam quo cum verbo recte coniungi possit, non apparet. « Consedit » est nimis remotum: « fugit », quia cum illo « meo sinu » coniunctum est, respuit pronomen. Si « nam quae de meo » (Baehr.) legimus, « de », quae praepositio iure abesse potest, bene sequitur fugiendi verbum; sed id concedi debet, quod vereor ut possit concedi, alio loco « me » irrepsisse in versum, alio « de » e versu excidisse. Omitto « nam modo » (Muret. Voss.) et « puella amata » Hand. Obs. p. 57). Ab Avantio, qui « namque » protulit, cui his temporibus adsensi sunt cum Froelichius et Pleitnerus (quamquam « quae e meo » legendum censent) tum Riesius, versiculum emendatum puto. Ac fortasse ob eam causam « me » pro « que » in V exstitit, quod post ipsum « que » « meo » est.

XXXVIII 2 **Malest me hercule et laboriose.**

Nihil ex iis, quibus viri docti hiatum tollere conati sunt, probo. « Est », quod Silligium secuti, Froelichius Muellerus Schwabius Schmidtius post « et » particulam addiderunt, omni caret vi. « Ei », quod ante hanc ipsam particulam ponunt Lachmannus Hauptius Valhenus Riesius, supervacaneum esse videtur, cum in v. 3 carminis LXXXII (versiculus 1 habet accusativum : « Catullum ») sit omnino necessarium. « A » interiectio (Baehr.) aut « ei » (Postg.) ideo ante posterius adverbium (laboriose) molesta est, quod « male » et « laboriose » non duas res significant ita diversas, ut « me hercule » ad alterum, ad alterum « a » aut « ei » recte possint pertinere. « Laboriose » auget atque explicat id quod iam « male » significat. Itaque « me hercule » refertur ad

utrumque. Sed, ut ego puto, etiam hic hiatus (v. s. p. 58 et p. 70), quem nonnulli retinent, quamquam est in thesi, recte retinetur. Nam Catullus, qui est ut corpore graviter aegro, sic fracto animo et abiecto, non celeriter loquitur, sed lente, hic illic quibusdam quasi spatiis interiectis. Qui cum « me hercule » dixit, paulisper moratur, ea voce seiungens, quae sunt coniuncta.

6. **Irascor tibi. Sic meos amores!**

Omnes interrogantis notam ponunt, Riesus admirantis. Quem verum vidisse adfirmo. Si quid quaerit Catullus, alterutrum quaerit: itane ipse Cornificium noverit, itane ipse neglegatur a Cornificio. Quoniam dubium non est, quin et Catullus, cum « amores » dicat (cf. VI 16, X 1, XV 1, XXI 4, XL 7, XLV 1, LXIV 27), personas non res designet (1), et hoc loco tale verbum aut ad eum ipsum referatur aut ad Cornificium amicum, aliud profecto, ut mihi videtur, non quaerit. Sed eum quaerere, noveritne ita ipse Cornificium, non ob id solum nego, quod obiecit Baehrensius (*hoc « sic meum Cornificium cognosco? » a concessa loquendi brevitate abhorret*), sed quia, cum Catullus Cornificium reprehendat, illique se irasci dicat, illius culpam persequi debet, non suam ipsius im-

(1) Itaque ab Ellisio dissentio, sic scribente: MEOS AMORES where it is not " my beloved „ as in XV 1, XXI 4, XL 7, all spoken, I think, of Juventius, can only mean " my passion and all that concerns it, my tale of passion „ as in VI 16 *Volo te ac tuos amores Ad caelum lepido vocare versu* „. Sed hunc locum relinquamus: cur in c. VI " tuos amores „ non interpretabimur hoc modo: " puellam, quam amas „? Compertum habet Catullus Flavium puellae cuiusdam amore flagrare. Si scire vult quae sit et qualis (" boni malique „ v. 15) puella, suis carminibus, puto, est eius pulchritudinem et mores praedicaturus. At haec praedicare nonne idem tandem erit atque ipsam puellam ad caelum extollere?

prudentiam. Hoc autem pacto quaerere potest, utrum *sic* ipse Cornificio sit cordi necne, ut et « curas », « *colis* » aut aliud simile intellegamus, et pro «meos» « tuos » scribamus. « Curas » quidem facile intelligimus. Quo in genere illud Terentii, Eun. 279, considerandum arbitror. GN. *Ecquíd beo te?* PA. *Mén? papae.* GN. *Sic sóleo amicos.* Nam hic etiam ex iis, quae ante Gnatho Parmenoni pollicetur, sine labore perspicitur verbum tractandi aut, si placet, curandi esse omissum. Verum licere, « meos » deleto, « tuos » reponere, nego; non quod opus sit magna litterarum mutatione, cum parva sit opus, sed quia nihil necesse est immutare. Nota enim, qua admirationem significamus, posita, omnia se recte habere videbimus, si verbum quoddam infinitivi modi (cf. Ter. Ph. 613 *Tun dixeras huic? fácinus indignúm, Chremes, Sic circumiri!* An. 689 *Sicin me atque illam operá tua nunc miseros sollicitári!*) abesse statuerimus. Quid autem potest cogitari, quod magis in promtu sit et ad hunc locum accommodatius, quam « esse »? Ego vero nescio an alio modo hic locus possit explicari. Suspicor enim hoc loco « sic » particulae eandem omnino esse vim quam particulae «ecce» (cf. Plaut, Cas. 305. *Si id factumst, écce me nullúm senem.* Trin. 1013. *Écce hominem te, Stásime, nihili).*

XXXIX 9 Quare monendum est mihi, bone Egnati.

Hiatus removendi causa, qui quemadmodum defendi hic possit, non reperio, omnes fere aut ante verbum substantivum, id quod primus fecit Spengelius, aut post, « te » addunt. Ita fit ut ex gerundii nominativo, cuius genus est quidem neutrum, pendeat accusativus. Videamus igitur quid de hac verborum con-

iunctione, sine controversia ad obsoletam antiquitatem pertinente, sentire debeamus. Omitto Varronem, qui ea utitur saepissime in Rerum Rusticarum libris, nunquam fere in libris de Lingua Latina (1), omitto etiam scriptores qui post Augusti aetatem fuerunt; huiusmodi gerundium cum accusativo coniunctum reperimus non raro apud Lucretium (I 111, II 492, III 624, III 924, IV 776, V 43 ss., VI 917 cett.), semel apud Vergilium (Aen. XI 227 ss. *Legati responsa ferunt... alia arma Latinis Quaerenda aut pacem Troiano ab rege petendum* (2), semel, nisi fal-

(1) " Die Fragmente bieten kein Beispiel dieser Construction, die, um nun auch die Häufigkeit ihres Vorkommens numerisch auszudrücken, in den Büchern de r. r. an 35, in den Büchern de l. l. dagegen nur an zwei Stellen sicher überliefert ist „ G. Heidrich. Pr. 1890 p. 13. " Im ganzen findet sich die persönliche Construction in der Schrift de r. r. 130 mal und dabei die Copula an 26 Stellen, in der de l. l. 60mal und die Copula an 30 Stellen. „ Ib. p. 14.

(2) " Quarto saeculo *Iulius Rufinianus* figurarum exempla collegit... Recte notavit genuinam lectionem Aen. XI 230 *petendum*, quae tamen praeter *M* 2 et Servium etiam in *b c* aliisque recentioribus libris servata est, quamquam corrupta grammatistae interpolatione *petendam* in *M* 1. P R *γ* „ Sic Ribbeckius, Prol. p. 207. Mihi vero persuasum non est ita Vergilium versum 230 scripsisse. Quaero enim, quamobrem " quaerenda „ ille dixerit, non, ut " petendum „ fere postulabat, " quaerendum „, praesertim cum similiter cadentia verba aliquid, ut puto, additura essent legatorum orationi. Atque cum hoc Vergilii loco ea conferantur quae apud S. Italicum, XI 559 ss.—nam sive verba simplicia consideramus sive copulata, quandam inter utrumque poetam similitudinem esse nemo non videt — dicit Hanno: *Nunc pacem orandum, nunc improba foedere rupto Arma reponendum et bellum exitiale cavendum Auctor ego.* Si idcirco Silius scripsit " orandum „, quod "petendum„ Vergilius scripsisset, veri simile est, cum sit apud Silium « reponendum „, apud Vergilium „ quaerendum „ olim fuisse. Sine dubio

lor, in Priapeis (LXIX 4 *Quot pondo est tibi mentulam cacandum*): atque etiam, si verbum est deponens, apud ipsum Ciceronem (cf. Ca. Ma. II 6 *tamquam longam aliquam viam confeceris, quam nobis quoque ingrediundum sit*). Itaque si satis constaret, Catullum « te » dixisse, nihil esset causae, cur hunc locum in controversiam vocaremus; sed cum non constet, prudentiaene erit id ei tribuere, quod plane est obsoletum? Nonne credibile est eam verborum coniunctionem vitatam esse a Catullo, quam vitarunt Terentius Caesar Horatius Ovidius? Itaque non probabo « monendus est » (Avant. Mur. Stat.), cum « bone Egnati » perspicue pertineat ad v. 9, non ad 10, sed illud existimo, multo esse melius, quam « te » inserere, « monendus es » scribere, ut scripsit Calpurnius, quem secuti sunt A.Guarinus Scaliger Vossius Vulpius Doeringius Froelichius.Ubi sit, si ita emendemus, « nimia licentia », quam vidit Baehrensius,non dispicio. Non raro « us » pro « um » « um » pro « us », si extremae sunt verborum litterae, in ipsis Catullianis codicibus invenimus: « est » autem pro « es » omnes fere libri habent in I 5, XXIV 1, LXVII 6

nihil obstabat, quominus Silius gerundio uteretur, cum gerundio et gerundivo usus esset Vergilius, at id ipsum quaesivi et quaero, cur gerundium et gerundivum Vergilius adhibuerit. Sed hoc etiam suspicari licet, propter Silianum " pacem orandum „ Vergilio " petendum „ esse tributum. Quod eo probabilius videri potest, ut arbitror, quia, cum in eadem sententia *(pacem petendum, pacem orandum)* eadem sit verborum coniunctio, non eadem est in sententia dissimili *(arma quaerenda, arma reponendum)*. Hanc enim discrepantiam ex molesta alicuius grammatici diligentia verbum cum verbo conferentis ortam esse non absurdum est cogitare. Sed quid de tali re sentiendum sit, viderint docti. Quod si haec accusativi cum gerundio casus nominativi coniunctio debet nescio cui grammatico abscribi, dummodo statuamus, eum ante Servii aetatem fuisse, et huius et Rufiniani auctoritatem ad nihilum recidere omnes perspiciunt.

CXII 1 (G etiam in CXII 2) et « adest » pro « ades » in LXI 77, praeterea alii « potest » alii « potes » in XLII 14. Accedit quod, si per errorem scriptum erat « monendum », « est » facile exstitit. Si verba tamen emendare nolumus, quae sine labore emendantur, et aliquid perisse praestat existimare, non idcirco « te » necesse est accipiamus. Peiperus « sic » ante « mihi » voluit; ego « hoc » malim post « monendum ». Quod monendi verbum, cum aliquem adfamur et ad ea exponenda, quae monere volumus, utimur propositione primaria, tam bene accusativum personae habet (cf. Cic. Phil. VII 9, 27 *Sed vos moneo, patres conscripti: Libertas agitur populi Romani*, Sull. VIII 23 *Sed tamen te a me pro magnis causis nostrae necessitudinis monendum esse etiam atque etiam puto. Non possunt omnes esse patricii*), quam bene eo caret (cf. Cic. Mur. XXXVII 80 *sed moneo, iudices: In exitu iam est meus consulatus*, Verr. A. I, XII 36 *Moneo, praedico, ante denuntio: Qui aut deponere aut accipere aut recipere...*).

11 **Aut parcus Umber aut obesus Etruscus.**

Pauci (Lachm. Rossb. Heys. Westph. Ell.) « parcus », quod est in codicibus et in antiquis editionibus, retinent; Scaliger, cui his temporibus vehementer adsensus est Postgatius, verbum ab Horatio mutuatus, « porcus » coniecit: plerique existimantes pinguia Umbrorum corpora designari, aut ipsum « pinguis » scribunt (Ries. Schm.) aut, maiore litterarum similitudine quaesita (« parcus » et « pinguis » nimis dissimilia videntur), « fartus » (Meleag. Haupt. Muell. Vahl. Schw. Baehr.) et « pastus » (Voss., qui etiam « fartus » probat, Doer.). Sed « pinguis » « pastus » « fartus » laudare non possum. Etenim, si Persius, III 74, dicit *pinguibus Umbris*, non sequitur ut idem Umbros testetur pinguibus esse corporibus. Haec sunt eius verba: *nec invideas, quod*

multa fidelia putet, In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris Et piper et pernae Marsi monumenta clientis. Itaque orator quidam fingitur, qui hanc ex caussis dictis ceperit utilitatem, ut sale, pipere, melle, pomis, salitis carnibus suam cellam penariam referciret. Umbri autem et Marsi idcirco commemorantur, quod ex salgamis apud nullas gentes tanta palato voluptas percipi possit, quanta apud illos. Quamobrem si orator omnem Umbrorum gentem, quod non credo (cf. *Marsi clientis*), defendisse putandus est, pingues hi appellantur, quod pinguia, ut ita dicam, ea sint, quae largiti sunt oratori; si defendisse nonnullos, existimare licet ob hanc ipsam causam sic illos esse appellatos, sed multo veri similius ii Umbri dicuntur pingues, qui divites sint. Umbrorum igitur et Marsorum salgama omnium optima putantur, sed ille Umber aut Marsus cliens bene olentibus salgamis potest penariam oratoris cellam implere, qui divitiis abundet. Quod autem in glossis Vaticanis, quae vocantur (Mai Class. Auct. VII 574), sic scriptum est: *Pinguis grassus. Nam obesus plus est quam pinguis. Catullus ait: Aut pinguis ubera* (Umber) *aut obesus et prossus* (Etruscus), id non est argumentum, cur « pinguis » Catullum dixisse arbitremur. Quoniam in Catulli codicibus est « parcus » (librariorum enim errores non sequor), is qui in glossis Vaticanis, quid « pinguis » significaret, exposuit, aut alius quispiam (incredibile enim non est illum corrupto libro usum esse), cum verbum non facile perspici posset, « pinguis » ex insequente « obesus » coniecit. Sed negant viri docti Umbros, quos molles dicat Athenaeus et Lydorum similes (XII, τὸ τῶν Ὀμβρίκων φησὶν ἔθνος ἐπιεικῶς εἶναι ἁβροδίαιτον παραπλησίως τε βιοτεύειν τοῖς Λυδοῖς), recte appellari parcos. At primum vereor ūt Athenaeus auctor sit satis idoneus. Is, qui aequalis fuit M. Aurelio (γεγονὼς ἐπὶ τῶν χρόνων Μάρκου, Suid.), ea de Umbris memoriae tradidit, quae in XXI Philippico-

rum, ut ipse monet (*κἀν τῇ πρώτῃ δὲ πρὸς ταῖς εἴκοσι Φιλιππικῶν*), Theopompus (cf. fragm. 302) scripsisset, qui trecentis circiter annis ante Catullum fuit. Deinde legenda sunt quae de suorum temporum Umbris dicit Cicero, Rosc. Am. XVI-XVII 48: *Considera, non modo in Umbria atque in ea vicinitate, sed in his veteribus municipiis quae studia (agri colendi) a patribus familias maxime laudentur... Ac non modo hoc patrum voluntate liberi faciunt, sed permultos et ego novi et, nisi me fallit animus, unusquisque vestrum, qui et ipsi incensi sunt studio, quod ad agrum colendum attinet, vitamque hanc rusticam... et honestissimam et suavissimam esse arbitrantur.* Quibus in verbis non apertum quidem testimonium elucet severitatis omnium Umbrorum, sed si permulti adulescentes et sua et patrum voluntate agros colebant, vitaeque rusticae nullam aliam anteponebant, multum abest ut recte Umbri appellentur molles, plurimum ut possint comparari cum Lydis. Nec sunt neglegendi hi Silii Italici loci, quos attulit Ellisius: *Sed non ruricolae firmarunt robore castra Deteriore cavis venientes montibus Umbri* (VIII 446), *His populi fortes Amerinus et armis Vel rastris laudande Camers, his Sarsina dives Lactis et haud parci Martem coluisse Tudertes* (Ib. 460), ad quae addi potest *Et Gravidicolam celso de colle Tudertem* (IV 222). Nam si subtilius quam verius videtur, quod Ellisius scribit, Silium tamquam propriam universae Umbrorum gentis virtutem designare parsimoniam; tamen certum est Umbros apud eum homines esse gloria belli ac fortitudinis insignes. Quod si quis opponat, Catullum, quia obesos appellet Etruscos, dentatos Lanuvinos, item in Umbris, id quod ad corpora pertineret, non quod in mores caderet, notare debuisse, vix opus est dicere in animi moribus facile cerni corporis habitum. Itaque «parcus» propter oppositum «obesus» est «macer». In lingua Latina

quid vocabula sonent, saepe ex vocabulis eliciendum esse, quae sint illis opposita, inter omnes constat. Itaque « parcus » non est removendum.

XXXXI 7 Non est sana puella. Nec rogare
Qualis sit solet et imaginosum.

Si « non est sana » idem est, ut est, quod « insana », veri simile esse non credo Catullum addidisse non dico « solet haec imaginosum » (A. Guar. Scal. alii), ubi et « aegrotare » et « morbum imaginosum (= φαντάσματα), quae verba expressa non sunt, intellegere debemus; sed « esse imaginosa » (Muell. Schw. Benoist.) aut « stolida est imaginosa » (Pleitn. St. p. 116) aut « solide est imaginosa » (Haupt. Westph. Vahl. Schm.). Res enim esset inutilis et, praesertim « nec rogate qualis sit » interposito (nam « rogare », quod habent codices, in nulla ex allatis coniecturis retinetur), illepidissima. In iis autem quae protulit Doeringius (« nec rogare Q. s. solet; en imaginosam », quod approbavit ac recepit Heysius, aut « haec imaginosa »), si alia neglegimus, dicendum est ex quo puella sciscitari debeat, qualis ipsa sit. Nam si sententiam Doeringius explicat atque exponit hoc modo: « nec in se descendere et quaerere solet, quam vilis et deformis sit », illud « in se descendere » ipse addit, non e versu elicit, quem tribuit Catullo. Quod idem dici debet de versiculo Pohlii (Sp. I p. 44), qui, Turnebum « haec imago nasum » conicientem secutus (etiam alii mentem ad nasum converterunt), « rogare Q. s. solet eminente naso » reponendum existimavit. Quae tamen esset Catulli sententia, iam pridem perspectum est. Palladius enim, qui non secus ac postea Guarinus et Scaliger legit — nam sic scriptum est in nonnullis inferioris

aetatis codicibus — « solet haec imaginosum », monuit se a Philippo Beroaldo accepisse, ita intellegi oportere, non esse puellae morem, qualis ipsa sit, speculum rogare. Sed « imaginosum » significare « speculum » interpretantibus (non aliter interpretatus est Muretus) illa obstabant, quae monuit Turnebus (Adv. XIV 8): « Si speculo eam attributionem adiungeret (Catullus), certe probari posset: verum pro rei vocabulo adiectionem positam usurpatamque esse ab eo credibile non est ». At Froelichius ex « et » particula, quae profecto pro « es » scripta est (ipsi Catulli codices nonnumquam « s » pro « t » habent: cf., ut haec adferam, XXXXIV 7 « expulsus sim » = « expuli tussim », LXIV 275 « refulges » = « refulgent », CXIV 1 « mensula » = « mentula », T LXII 41 « mulcens » = mulcent »), « aes » deprompto (Lachmannus, qui « rogate » scripsit, « et » retinuit), id quod Turnebo displicuerat, removit, ipsumque, opinor, Catulli verbum restituit. Quam quidem Froelichii emendationem perpauci, in his Riesius Baehrensius Palmerius Ellisius Postgatius, receperunt. Sed quid contra disputari possit, non video. Specula aena Catulli temporibus, praesertim in provincia, solita esse usurpari satis constat (cf. Ell. Baehr.). Quemadmodum apud nos ita apud veteres fuisse morem, ut homines pulchrine essent e speculo quaererent et, si quis non vere se pulchrum putaret, ei speculo hic error extorqueretur, alii docuerunt multis exemplis (cf. Alciph. I, 33, 4, Anth. Pal. XI, 266, Plaut. Most. I, 3, 95, Mart. II 41, 8, Ov. Am. II, 17, 9). Ad quae illud Ciceronis addere licet: *Sed, credo, postquam speculum tibi adlatum est, longe a pulchris abesse sensisti*, Fragm. A XIII 25. Ut autem intellegatur quomodo opus sit interpretari « imaginosum », adfert Ellisius Plinium H. N. XXXIII 129, Palmerius (Hermath. VI) Gellium XVI 18, 3: sed minime necesse

est eiusmodi speculum intellegere, in quo « uno imagines unius rei plures appareant ». Num se ipsa aspicere et contemplari Ameana non potest, si ante eius oculos una est sui imago? Nec « imaginosum », quod « abundans imaginibus » significat (cf. XXXVI 13 harundinosam = harundinibus abundantem), in tale speculum necessario cadere debet, in quo imagines simul plures fingantur. Quodlibet speculum, quippe quod omnium rerum imagines et reddere possit et reddat, nonne recte dicetur imaginosum? praesertim si non speculum nominatur, in quo quid intellegi debeat, statim percipitur, sed aes, quod per se speculum non designat. Quod autem non reperiuntur nisi post Catulli aetatem quaedam vocabula, quorum originem ab imagine (imaginor, imaginarius ctt.) repetimus, hoc, sententia mea, Catullianum « imaginosum » non infirmat, sed satis est argumenti, quod verbum esset a scriptorum consuetudine alienum, idem alienum non fuisse a cotidiano sermone. Quid si « imaginosum », quod optime fictum est, finxit Catullus? Et « harundinosam », quoniam hoc vocabulum iam supra commemoravi, ut reliqua ἅπαξ λεγόμενα quibus Catullus utitur, praetermittam, quo confirmatur exemplo?

XXXXII 7 **Quae sit quaeritis? illa quam videtis**
Turpe incedere, mimice ac moleste,
Ridentem catuli ore gallicani.

Nihil dico de interrogationis nota, quam a multis dissentiens in versiculo 7 posui. Illud « mimice ac moleste » autem, quocum omnes fere iungunt « ridentem », non ob id quod obiecit Baerensius, nullum esse risum mimorum et mimarum proprium, ad « incedere » referendum duco, sed quia, cum « ridentem ore catuli gallicani » sic rem declaret, ut non sit amplius decla-

randa, « incedere turpe » quid sibi velit, non perspicitur. Itaque ex duobus illis adverbiis, quae sit haec turpitudo intellegimus. Accedit quod si altero versu incessus vituperatur, altero risus, pulchra est in oratione convenientia partium: quae aliter, perit omnino.

Circumsistite eam et reflagitate.
" Moecha putida, redde codicillos,
Redde, putida moecha, codicillos „.
Non assis facis? o lutum, lupanar,
Aut si perditius potest quid esse.
Sed non est tamen hoc satis putandum.
Quod si non aliud potest, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore voce.
" Moecha putida, redde codicillos,
Redde, putida moecha, codicillos„.
Sed nil proficimus, nihil movetur.
Mutanda est ratio modusque vobis,
Si quid proficere amplius potestis.
" Pudica et proba, redde codicillos „.

Si ita ponimus, hendecasyllabos ea dicere, quae ipse poeta doceat, nescio quomodo non verissimum omnibus videri debeat id quod Baehrensius existimavit, inter versus 23 et 24 talem fere versiculum perisse: « Submisseque humilesque nunc rogate ». Sed quae dicant hendecasyllabi, nequaquam docet poeta, ipsi inveniunt; ille aliud nihil toto carmine facit, nisi eos ad dicendum impellit. Recte igitur versiculus 23 est a v. 24 quodammodo seiunctus. Poeta hendecasyllabos monet, ut conclamandi rationem mutent, hendecasyllabi conclamant mutata ratione. Quod quis non sentit esse pulcherrimum? Ac nisi ita interpretamur, quaedam sunt, quae non satis intellego. Nam si hendecasylla-

bi iniurias, quibus insignis impudentiae puellam vexant, ab ipso poeta didicerunt, quid est quare, quae illa sit, quaerant? Si hoc quaerunt, ob eam causam quaerunt, ut iniurias adhibeant, quae ad id, quod consequi volunt, aptae videantur. Et vero postquam acceperunt, qua cum femina sibi sit depugnandum, tum eam moechae putidae nomine appellant. Quod si ea hendecasyllabi dicunt, quae doceat poeta, cur hic monet, cum illi iterum conclamare debent altiore voce (v. 18), quae contumeliae in puellam iaciendae sint(vv.19-20),si has iam antea (vv.11-12) non modo ipse docuit, sed illi iecerunt? Unde patet versus 11-12 non a poeta, sed ab hendecasyllabis dici. Atque credibile est, ubi rem ita essent interpretati, non fuisse Pleitnerum post v. 21, Westphalium et Riesium post v. 23 (1) versiculos 16-17 collocaturos. Quibus, fateor, iam obicere licet, quae iniuriae non statim (vv. 11-12) effecerint ut « putida moecha » erubesceret, eas id efficere posse, cum iterentur (vv. 19 20), praesertim altiore voce. Sed si, quas iniurias adhibere oporteat, non docet poeta (iterum conclamare non est eadem conclamando dicere), nihil reprehendendum est, quod hendecasyllabi ea , quae ad turpis puellae impudentiam reprimendam accommodata sint, non dicant. Non dicunt non quod versiculorum ordo librariorum culpa sit perturbatus, aut quod Catullus, quid dicendum esset, non intellexerit, sed quia ipsi, quam viam sequantur, nondum nacti sunt. Qui quidem tum nanciscentur, cum a poeta ad rationem mutandam erunt impulsi. Atque ego sic existimo, hen-

(1) " Es wird das erste Schimpfwort mit lauterer Stimme wiederholt, aber ohne alle Gradation „ Westph. p. 228, " Hat Westphal. S. 227 f., *quo* aus *quod* ändernd, mit Recht hierher transponiert. Denn die Schamröte, die 11-12 nicht hervorrief, kann noch nicht durch einfache Wiederholung von 11-12, sehr gut aber durch die Anrede *pudica et proba* v. 24 provociert werden „ Riesius.

decasyllabos—qui ex ore moechae ruborem exprimere volunt, cum de eius manibus pugillares extorquere nequeant (cf. « quod si non aliud potest »; male Pleitn. Munr. Postg. « pote ut »)—ob eam causam iis uti iniuriis, quibus usi sint antea, non laude et ironia quae inest in ultimo versu, qua ad ruborem exprimendum nihil aptius potest cogitari, ut haec magis emineat atque appareat. Quibus consideratis, post versus 10, 18, 23 non comma (sic enim omnes distinguunt), sed punctum ponendum censeo.

Venio ad reliqua. Non puto, quod multi putant, in his Munro Schwabius Postgatius, « potes » (G O) praestare scribere, quam « potest » (« plurimi boni libri » Schw.). Profecto non illud dicam, ceteris locis, ubi « aut si quid » et « seu quid » reperiatur (XIII 10, XXII 13, XXIII 13, LXXXII 2, 4), verbum esse tertiae personae: siquidem nullo loco ea est sententia, quae a secunda persona non sit maxime aliena. Sed statuo et iudico « o lutum lupanar aut si perditius potest quid esse » ita commode explicari: « o l. l. aut quod perditius es, si quid perditius esse potest ». Itaque puella est lutum et lupanar, quae si aliud perditius non est, ideo non est, quod lupanari et luto perditius sit nihil. Qui intellegunt: si quid luto potes esse perditius et lupanari, sic intellegere debent, luto et lupanari aliquid esse perditius, sed perditius quam lutum et lupanar puellam esse fortasse non posse. Quae interpretatio quam longe disiuncta sit ab eo, quo Catullus intendit, vix est dicendum.

In versu 22 ego quoque existimo pro « nobis », quod retinent Spengelius Baehrensius Riesius Schwabius, « vobis », quod aliquot codices posterioris aetatis habent et princeps protulit Avantius, restitui debere. Non idcirco « vobis » cum « vestra », quod est in versiculo 4, melius cohaeret. Etenim nullo pacto sunt hi versiculi inter se conexi. « Vobis » ob ea scribi debet, quae

ante disputavi. Nam si iniurias hendecasyllabi non a poeta docentur, sed ipsi inveniunt, etiam rationem modumque illarum inferendarum inveniunt. Nec est carminis artificium pro nihilo habendum. In adhortandis hendecasyllabis poeta modo prima persona utitur modo secunda. Ut in v. 10 sic in v. 18 hanc adhibitam esse videmus, cum paulo ante illa adhibita sit: cf. « persequamur » « reflagitemus » (6), « circumsistite » « reflagitate » (10), « exprimamus » (17) « conclamate» (18). Cum in v. 21 sit prima persona (proficimus), quis non putabit in v. 22 secundam esse, ob eamque rem « vobis » non « nobis » poetam dixisse? Qui non sine causa, ut arbitror, ita se gessit. Utitur persona prima, aut, nam idem est, etiam se ducem spectat, in reliquo carmine; utitur secunda persona aut non spectat nisi hendecasyllabos, cum hi puellam aggressuri sunt suisque maledictis insectaturi (vv. 10, 18, 22).

XXXXIV 21 Qui tum vocat me cum malum librum legit.

Quod contendit Baehrensius, pro « legit », quod est in omnibus libris (O « leḡ »), scribendum esse « fecit », id non Riesius modo probavit, qui monet, se ante Baehrensium hoc ipsum coniecisse, verum etiam Hermesius (Pr. 1889) et Karstenius (Menemos. XIX). Sed Lachmannus, qui in Ed. a. MDCCCXXIX « legit » retinuisset, in Lucr. Comm. (p. 290) « legi » reponi oportere verissime docuit. In epigrammate (Mart. II 79, 1), quod attulit Benoistius, Nasica Martialem tum ad cenam invitat, cum is ad cenam venire non potest. In carmine Catulliano non se res aliter habet. Sestius enim Catullum convivio adhibere vult, cum hic a convivio procul abesse debet. In hoc est discrimen, quod Nasica Martialem vocat, iam ab alio amico vocatum, Sestius Catullum si, cum ei suam aliquam orationem legendam

dedisset, effecit ut is in morbum incideret domique valetudine impeditus manere cogeretur. Cum autem Martialis sit Catulli vestigia frequenter secutus, nemo non videt quantum ponderis habeat utriusque carminis similitudo. Qua nullo modo nitar. Verissimum est «legi», ut puto, si ei sententiae non repugnat, quae maxime probabilis esse videatur. Cui quomodo repugnare possit, non intellego. Sestius orationem, quam in Antium petitorem scripsisset, veneni plenam et pestilentiae, mittit ad Catullum, eumque, cuius laudes incredibiliter exoptat, invitat ad cenam: Catullus, qui suas laudes vendit nemini, apud illum cenare non vult; sed, qua est ingenii festivitate, cogitatione fingit, idcirco sibi Sestium orationem dedisse, ut ipse morbo impeditus a cena longe abesset. In nugis et facetiis cui quaerere licebit (sunt enim qui hoc quaerant), unde Sestius acceperit, Catullum orationem legisse? Atque illud etiam libenter credo, cum Sestius Catullo cenam esset appositurus, infirma quidem hunc valetudine fuisse (cf. c. XXXVIII), sed per iocum suae tussis causam in Sestianae orationis lectione collocasse. Itaque, ut mea fert opinio, «legit», quod est in v. 21, non ex v. 12 manavit, ubi est «legi». Ex quo si manavit, quaero cur ipsum «legi» codices non habeant. Sequitur ut existimandum sit «legi» factum esse «legit» ob illud «vocat», quod est in eodem versiculo.

XXXXV 8 Hoc ut dixit Amor sinistra ut ante
Dextra sternuit approbatione.

Omnes fere consentiunt, praesertim Propertii auctoritate freti (II 3, 24), non «approbatione», quod retinent Guarinus Muretus Silligius (id enim habent codices et Editio pr.), sed «approbationem» esse scribendum. In reliquis magna est inter doctos dissensio. Complures post Lachmannum «Amor, sinistra ut ante,

Dextra » legunt, sed veram esse hanc interpretationem non apparet. Si sic intellegimus, Amorem, qui antea Septimii Acmesque amori infensus fuerit, nunc in eos propensa esse voluntate (ita interpretatur etiam Doeringius, qui Pontanum [ad Macr. p. 662] et Statium secutus « sinistram ut ante Dextram » scribit), quiddam in his versiculis est, ut aliud nihil dicam, quod a consuetudine sermonis Latini maxime abhorreat. Nam quomodo Amor, ut inimico animo se esse moneret, approbationem, quamvis sinistram, sternuere potuit, si approbatio numquam est improbatio? Ad illud idem significandum, « sinister ante, Dextram », quod Vossius coniecit, multo est accommodatius; sed non modo non perspicitur, ut plerique animadverterunt, quemadmodum « sinister » factum sit hic « sinistra ut », in v. 17, id enim habent codices, « sinistravit » (« sinistravit », quod alii alio modo explanaverunt, idem esse ac « sinistra ut » [sinistraut, sinistrauit] facile intellegitur), verum etiam « dextram » redundat, cum semper dextra sit approbatio. Potest, fateor, non « dextram », sed « dextra » scribi: at Catullum « sinister—dextra » dixisse quis putabit? Nec quid sit, quod credamus Amorem Septimio et Acmae inter se amantibus infensum et adversum fuisse reperio. « Nunc », quod est in versu 19, et « ante », quod est in versibus 8 et 17 (cf. Schulz. N. Jahrbb. 1884), nullo modo sunt inter se opposita. Catullus narrat magno ac mutuo amore Septimium et Acmen flagrare: sed antequam hoc narret, quod fuerit amandi initium, exponit. « Nunc » igitur ad tempus pertinet, quod fuit post illud initium, « profecti » hoc ipsum initium designat.

Sed non inepte dictum est (cf. Schm.) Amoris omen, si dextra is sternuat et sinistra, eiusmodi sane esse, quod faustissimum videri possit. Existimare ta-

men licebit eum ab utraque parte cum ad Septimii (8-9) tum ad Acmes (17-18) verba sternuere? Detracto « ante », sine dubio licebit, non item, non detracto. Etenim id fieri credere debebimus, quod fieri non potest, ut Amor et post Septimii et post Acmes verba *statim* dextra approbationem sternuat, cum *ante* tamen sternuerit sinistra. Quod si « sinistra, u. ante Dextra » legimus (sic et olim alii et nunc distinguit Postgatius), idem fere est obiciendum.

Multi praeter Vossium et Doeringium pro « dextra » « dextram » probant. Ac « dextram » quidem in versiculo 18 codices habent. Quod tamen facile putamus ex eo ortum esse, quod in eodem versiculo esset « approbationem », ut in versiculo 9 non « approbationem » scriptum est, sed « approbatione » ob eam causam, ut suspicor, quia ibi esset « dextra ». Eos autem omittamus qui « ut ante » retinendum censent; quod, quoquo modo distinguunt (« sinistra , ut ante » , « sinistra ut ante », « sinistra, ut ante, ») ferri non potest. Coniecit « sinistra manu » et « sinister astans » Munro, « sinistra abunde » Zingerlius. (Kl. Philol. Abhandl. 1882), « s. amanti » Riesius post Meleagrum (iam Scaliger : « Hoc ut dixit amans ») , « s. et ante » Baehrensius et Froehnerus (Rh. Mus. XLVII), qui illud *Agellulum hunc, sinistra et ante quem vides* » (Priap. Verg. II 3) adferunt, « sinistro ab ante » (1) Weberus. Sed haec ut sunt refutanda, ita omnia fere refutata sunt. Accedit quod « dextram », ut vidimus, falsum est. Nam quod monuit Baehrensius, Latinos incredibili quadam voluptate verba inter se opposita iungere consuesse, hoc nihil ad rem. Adversa contrariis illi qui-

(1) " Cogitari... debet de tali aliquo spatio (= germanice *Feld*) in quo simulacrum Amoris pictum erat „ Qu. Cat. p. 148.

dem libenter referunt, sed cum haec aliquid significant, non cum sunt prorsus inania (1).

Hi versiculi post v. 16 iterati sunt. Hoc loco non delabimur in eas, quas vidimus, difficultates. Nam re ante (v. 9) sternuit Amor. Itaque si hic scribimus: « sinistra ut ante, Dextra », superiore loco corruptum est « ut ante dextra », si scribimus: « sinistra, ut ante Dextra », corruptum est « sinistra ut ante ». Omnino hoc probabilius videri debet quam illud. Primum si corruptum esse ponimus « ut ante dextra » vitium non prioris versiculi finibus continetur, sed transit ad alterum. Deinde cum Amoris sternumentum sit signum approbationis, ille, ut arbitror, ad Septimii verba, qui si una cum Acme in lectulo iacet, ad dextram iacet, a dextra sternuere debet. Hoc modo utra a parte Amor sternuerit, ad approbationem non pertinet: sternuit dextra, cum locutus est Septimius, qui est ad dextram, sternuit sinistra, cum locuta est Acme, quae est ad sinistram. Quamobrem ea quae coniecerunt Pleitnerus S. p. 115, « Amor simul litantei Dextra » et Hermesius Pr. 1889, « Amor sono isti acuto D. », etsi ne-

(1) Dextra etiam ea intellegi potest approbatio, quae ad dextram partem, unde, ut ita dicam, profecta sit, pertineat. Quod cum aliis locis tum his Ciceronis verbis cernitur, Div. II 39, 82: *Homericus Aiax apud Achillem... nescio quid hoc modo nuntiat*: " *Prospera Iuppiter his dextris fulgoribus edit... Ita nobis sinistra videntur, Graiis et barbaris dextra meliora.* Sed haec interpretatio ab hoc loco abhorret omnino. Quid enim est sinistra sternuere aprobationem, quae proficiscatur a dextra? " Sinistra dextram „ Rossbachius intellegit " a sinistra ad dextram.„ Quod Ellisus et quodammodo laudat (If the reading to which MSS point is retained, the only other explanatio which has any plausibility is that of Rossbach) et Accii auctoritate (Cic. Div. I 22, 45 *quod ad déxteram Cēpit cursum ab laéva signum praēpotens, pulchérrume Aúguratum est)* confirmari posse arbitratur. Verum " dextram „ idem esse atque " ad dextram „ propter illud " approbationem „ non credo. Nam perdifficile est, si dextram legimus, substantivum cum adiectivo non iungere.

cesse non est refellere, tamen, dummodo versus 17-18 existimentur corrupti, ad id quidem emendandum sunt prolata, quod debet emendari. Sed credibilene est Catullum cum diceret, Amorem sinistra sternuisse, illud addendum putasse, quod omnes scirent, eundem ante sternuisse dextra? Quo nihil fingi potest ineptius. Atque ut imprudentis est illud tenere, Graecos et Latinos poetas omnia perfecte absoluteque dixisse, ita aequum non videtur iudicare, eosdem dixisse inepte, cum quemadmodum dixerint, non constet. Nam si Amor non dextra modo sternuit ad Septimii verba (vv. 8-9), nullo pacto in versibus 17-18 ea exposita sunt quae vidimus. Equidem in re incerta nihil ego certi adfirmare audeo: tamen si statuimus, Amorem suspensis alis inter Acmen esse et Septimium, atque cum ad huius tum ad illius verba, ut se maxime approbare patefaceret, et dextra et sinistra sternuisse, nihil quod non sit et veri simile et pulchrum statuimus. Quin intellegi potest, quamobrem Amor, etiam cum locutus sit Septimius, qui ad dextram est, sternuat a dextra, postquam sternuerit a sinistra. Nam cum sternumenta sinistra meliora sint quam dextra (v. s. p. 175 adn.), suam erga amantes pueros voluntatem statim ab ea parte declarat, a qua omnium optima auspicia fieri soleant. Quod si ita est, « ut ante » in utroque loco mutare oportet. Sed quid erit reponendum? Ex litteris nescio an nihil coniectura adsequi liceat. Quarum fortasse nullam corruptionem reprehendere debemus, sed potius existimare, hoc ipsum « ut ante », quod supra ultimum versiculi 17 verbum esset adscriptum et ad indicandum quidem eadem versibus 8-9 iam dici, in verae lectionis locum esse receptum. Versus enim 8 recte obici non potest, quem facile sit cogitare secundum versiculum 17 esse immutatum. Quam ob causam

fuit cum crederem veri simile esse, Catullum « itemque » (cf. Cic. Div. II 6, 17, *Solis defectiones itemque Lunae praedicuntur*) scripsisse. Nunc quid restituendum sit, prorsus non video. Sed tamen quam dedecet quae in posteriore parte (v. 17) exponuntur cum iis comparari quae exposita sint in priore (v. 8), tam decet versus intercalares omnino eosdem esse in utraque.

XXXXVI 9 **O dulces comitum valete coetus,**
Longe quos simul a domo profectos
Diversae varie viae reportant.

Etsi litteras considerantes, librarii enim ne in Catullianis quidem codicibus « ae » diphthongum scribere consueverunt, « diversae varie » (A. Guar.) « diverse variae » (Scal. Voss. Doer.) « diversae variae » (omnes fere post Lachmannum) intellegere possumus — non defuerunt qui duobus adverbiis Catullum usum esse crederent —, legendum est, ut mihi videtur, « diversae varie » : nam « diversos » (Stat. Vulp. Froel. Richt. Cat. p. 7 « diversae Italiae » (Rossberg. N. Jahrbb. 1877) « diverse maria et viae » (Palm. Hermath. 1879) frustra allata sunt. Comites Memmii ex Italia in Bithyniam simul discesserant: easdem igitur vias ingressi erant, eadem itinera fecerant. Quomodo redeunt? Diversi. Ergo non easdem vias sequentes, non iisdem itineribus. « Varie », ut ego puto, hoc ipsum significat. Cui interpretationi pondus adfert id quod Ae. Thomasius (Rev. de l'Instr. publ. en Belg. 1891) ex Sallustii Cat. LII 1, LXI 9 et Taciti Ann. I 47 conclusit, « varie » aliquando ad rerum varietatem magis declarandam adhibitum esse, si qua varietas iam singulorum locorum sententiis satis declararetur. Atque ideo potissimum Catullum « varie » dixisse arbitror, ut et profectionis et reditus dissimilitudo maxime emineret. Sic enim sententiam explicari posse

iudico: cum comites profecti sint simul ob eamque ipsam causam eodem modo, disiuncti et variis modis reditum faciunt. « Diversae variae » non quod « et » absit, improbo (abesse enim recte potest), sed quia « variae », cum dictum iam sit « diversae » (in Ciceronis exemplis, Man. 28, de Or. I 262, III 61, quae attulit Riesius, haec adiectiva sunt inverso ordine collocata), omni caret vi. Nec melius est ob verborum collocationem « variae » adiectivum quam « varie » adverbium intellegere. Illa enim nequaquam a Catulli consuetudine abhorret. Quin etiam in carmine XXXV 8-9 (*quamvis candida milies puella Euntem revocet*) non modo est, ut hoc loco, adiectivum seiunctum a substantivo, ad- verbium a verbo; sed, cum hic proxima sint adiectivum et adverbium, substantivum et verbum, illic inter sub stantivum et verbum est illud « euntem » interpositum

XXXXVII 1 Porci et Socration, duae sinistrae
Pisonis, scabies famesque mundi.

Omitto « Mendi » (Ed. omnium antiquissima) « Mem- mi » (Calpurnius, quem secuti sunt praeter alios Vulp. Doer. Sill.) « Mundi » (Voss.) « nummi » (Baehr.), quae inutile est refutare. Restant « mundae », quod coniecit Buechelerus, « munda », quod scribunt Riesius et Postgatius, « mundi », quod ut habent omnium optimi codices, ita post Lachmannum (iam retinuerant A. Guar. et Mur.) plerique adsumpserunt. Vix opus est dicere, si iudicandum sit ex litteris (v. p. 31), non « mundae » modo, sed etiam « munda » recipere licere. Verum cum mihi valde probetur illud Martialis III, 58, 45 *...t tu sub urbe possides famem mundam,* quae sententia iis, quae ante dicta sunt, est maxime opposita, non solum quorsum « munda » aut « mundae » spectet non reperio, sed genetivum aut aliquid simile, quo res,

quantum oportet, explanetur, desidero. Si « scabies » tantummodo Catullus dixisset, « mundus » intellegi posset « universus mundus ». Porcius enim et Socration essent quod esset pessimum non in orbe terrae solum, sed in orbe terrae et in reliquis mundi partibus. Haec exaggerandi ratio, certe a poetis non aliena, nihil esset improbanda. Sed cum scabie fames coniuncta est. Qua non generatim designari potest quod pessimum sit aut esse fingatur in universo mundo: insatiabilis edendi cupiditas singillatim designatur. Itaque egredi ex orbis terrae finibus non licet. At orbis terrae non ante Horatii et Propertii aetatem, ut Buechelerus demonstravit, appellatus est mundus: quo igitur iure hoc verbum et hanc notionem servabimus? Si in Catulliano epigrammate nulla de orbe terrae mentio recte fieret, dubium non est quin illud « mundi » plane emendari deberet. Sed eritne emendandum et ob eam rem, quod ante Horatii ac Propertii tempora nusquam alibi orbis terrae dictus sit mundus, cum id intellegi liceat, quod maxime probandum videtur, nullam esse aliam in terris scabiem, nullam famem nisi Porcium et Socrationem? Itaque illud existimo, iam apud Catullum orbem terrae mundi nomine appellari. Atque constat in eius carminibus quaedam esse vocabula, quibus et ipse usus sit semel et alii numquam (v. s. p. 167). Quin etiam si poetae posterioris aetatis, quo verbo significabatur cum universus mundus tum ex eius partibus illa in qua « *Romulus... cum dis agit aevum*, ut famae adsentiens dixit Ennius » (Tusc. I 12,28), eodem eam quoque partem appellarunt in qua vivunt homines, cur fieri non potuit ut id paucis annis ante faceret Catullus? Nec alienum fortasse est animadvertere Ennium « caeli mundum » dixisse (*mundus caéli vastus cónstitit silentio*, Fragm. P. R. Baehr. 467). Sine controversia, ut plenius diceret, ita ille quidem

caelum nuncupavit : mundi tamen nomen iam nunc non videtur, ut ita dicam , idoneum, quo etiam alius mundus, nempe terrae, designetur ? Quod si Catullus hoc nomine orbem terrae primus appellavit , idcirco puto ei nullo alio vocabulo ad rem declarandam opus fuisse, quod est et scabies et fames in terris.

L 2 **Multum lusimus in meis tabellis**

Pro « meis » nec « invicem » (Sabellicus) nec « aemulis » (Monsius Pr. 1884) nec « tueis » (Schw.) nec aliud coniciendum esse censeo. Nam ex « illinc abii » (v. 7.) non efficitur, Catullum Licinii domo esse egressum, unde si egressus esset, ad Licinium scribens « istinc » dicere debuit. Alia domo aut, si placet, ex aliqua caupona fieri potuit ut discederet. Si « solebant Romani pugillares secum portare » (cf. etiam c. XXV [illegible] et quae ad hunc locum Baehrensius Ellisius alii disputarunt), cur non illud ponemus, Catullum aliquo cum pugillaribus venisse , atque his eum usum esse [illegible] Calvum ? Dum ita res se habuerit, suas optime Catullus vocat tabellas. Quem quid est quod non putemus domi suae cum Calvo facetiis vinoque indulsisse ? Nam nulla prorsus domo necesse est interpretemur eum discessisse : existimare licet ex conclavi, in quo se iocis oblectasset , atque ab ipsis iocis discessisse. Itaque ubi Calvus et Catullus una fuerint, ignoramus; sed non est « meis » in dubium vocandum.

LI 10 **sonitu suopte**
Tintinant aures, gemina teguntur
Lumina nocte

Si versus 11 esset emendandus, ceteris omissis (« gemina integuntur » Lambinus ad Lucr. III 22 et Mon-

sius Pr. 1884, « gemina et » Speng., « g. obteguntur » Schw., « gelida » Baehr.), « geminae », quod protulit Schraderus et multi, in his Lachmannus, receperunt, profecto reciperem (« a »=« e », v. s. p. 32). Sed si « gemina » et « lumina » quominus inter se iungantur, obstat metrum, non bene inter se iungi « nocte » et « gemina » falsum est. Nam, ut ab eo ordiar quod pertinet ad metrum, quod Riesius obiecit, si sic iungamus: « n. gemina », in eadem stropha eidem caesurae ter esse locum (1), hoc quid ponderis habet, cum etiam in stropha prima carminis XI ter sit eadem caesura? Sed Hauptius, quem Riesius auctorem adfert, carmen XI ab hac quaestione prudenter exclusit. Ei enim non indigna Catullo videtur eiusmodi stropha, in cuius versibus numquam caesura immutata sit, sed illud indignum, orationis incisionem cum versus caesura ter in eadem stropha congruere hoc modo: *lingua sed torpet, flamma demanat, tintínant aures*, Op. I p. 106. Verum quod Hauptius improbat, id totum est in opinione positum. Torpet quidem Catulli lingua, ignis pervadit per artus, resonant suo ipsarum sonitu aures, in tenebris versantur oculi, sed haec omnia et eodem temporis momento fiunt et propter eandem causam. Quis demonstrabit non ob id ipsum et eiusdem numeri iterationem et eandem sensus numerique congruentiam consulto quaesitam esse? Cur autem « gemina » ab illo « nocte » separare opus sit, non video. Si « geminas aures » Catullus dixit (LXIII 75), « gemina lumina » recte quidem dicere potuit: quin etiam, si nonnullas doctorum hominum coniecturas sequimur, id ipsum dixit. Atqui, cum gemini sint oculi, nihil in « gemina nocte » arbitror reprehendendum. Nec illud quisquam obiciet, noctem, cum fieri non possit ut alteri oculo

(1) " Wäre in der Strophe 3 mal dieselbe Cäsur was C. sonst hier vermeidet ".

offundantur tenebrae, alteri non offundantur, frustra geminam appellari. Nonne « gemina » appellarentur lumina, non « geminae » (quod enim in oculorum lucem, idem cadit in aurium sonitum) appellantur aures? Atque operae pretium est animadvertere, illud cogitare licere, quod saepe cogitatum est, « noctem geminam » ad eas tenebras significandas dici, in quibus nihil usquam luminis appareat. Quae tamen ad noctem non oculorum, sed caeli spectant (Ov. Met. XI 521 *nox premitur tenebris hiemisque suisque*, Ib. 550 *Omne latet caelum, duplicataque noctis imago est*, Lucan. VI 624 *noctis geminatis... tenebris* ctt.), aut nihil aut non multum, ut ego puto, sunt cum hac quaestione coniuncta.

13 Otium, Catulle, tibi molestum est
Otio exsultas nimiumque gestis,
Otium et reges prius et beatas
Perdidit urbes.

Ii qui Catullo hanc stropham abiudicant (Th. Senecae plerique tribuerunt), eo potissimum refelluntur, quod eadem, si metrum et numerum consideramus, a Catulliana consuetudine (trochaeum in secunda sede ut hic, v. 13, ita in c. XI, v. 6 et 15, esse videmus) minime abest. Ad id autem, quod vult Rettigius (Catulliana II, MDCCCLXX p. 6), confirmandum, ultimam stropham ex quibusdam Ovidii versiculis (R. A. 135 ss.) « expressam esse », quomodo hoc adferri potest, nomen otii ut in illa stropha sic in his versibus ter inveniri? Illud enim nomen ter quidem repetitum est, sed orationis artificium plane esse diversum neminem praeterit. Atque hoc ipsum, quod defendit R., stropham ex Ovidiano fonte fluxisse, nullo nititur fundamento. Primum si inter stropham carminis Catulliani et Ovidii versus quandam reperimus esse similitudinem, ita in promptu

est putare aliquem, qui stropham ad Catulli carmen addere vellet, Ovidii versiculis usum esse, ut Ovidium in his ipsis versiculis Catulli memorem fuisse. Deinde ut dicatur, ab otio initium amoris proficisci, nihil quisquam ab Ovidio, nihil Ovidius a Catullo mutuari debet. Neque id adfirmo, quia multo ante Catullum et Ovidium Plautus (Trin. 658) et Terentius (Heaut. 109) eandem fere rem verbis expresserint; sed hodie quoque in cotidiano sermone frequenter amoris causa in otium confertur. Venio ad reliqua. Stropham, de qua disputo, licet quidem existimare aut alicuius carminis, quod perierit, particulam esse (quae opinio est multorum), aut breve quoddam, sed integrum epigramma (Pfeifferus); ut non est temeritatis suspicari, id carmen, cuius praeter versiculum 8 perierit nihil, esse reliquas strophas (cf. Ell. Comm.). At quibus rationibus et argumentis haec poterunt demonstrari? Quod autem putat Birtius (Buchwes. p. 410), quia apud Horatium in prima cuiusdam carminis parte ter «otium» scriptum sit, Catullum in prima alicuius carminis stropha ter nomen otii scripsisse (1), id nec refellam, nec unquam opus fuit refellere. Nescio tamen an non magis sit Ellisius audiendus, qui censet hanc stropham, quod a Sapphus consuetudine non discrepet, ex ultima alicuius carminis Sapphici stropha conversam esse existimare licere. Incredibile enim non est Catullum ad Sapphus rationem etiam ibi proxime accedere, ubi nihil ex Sapphicis carminibus transferat. Atque illud animadvertendum mihi videtur, ter idem verbum non apud Sappho tantum inveniri (I, 21-23), invenitur etiam, si id necesse est dicere, apud ipsum Catullum (cf. in primis c. LXIV).

(1) " Diese Strophe vom *otium* war aber wohl eine Anfangsstrophe; denn Horaz imitirt sie am Anfang der ode II 16 (dreimaliges *Otium*, in gleichem Versmass). „

Quod nonnulli arbitrati sunt, quartam stropham cum carmine LI esse quidem conexam, sed inter hanc et tertiam aliquid perisse (duae strophae perierunt si Leutschium et Pleitnerum [S. p. 75], audimus), hoc facilius, quam ea quae supra vidimus, demonstrari potest? Si satis constaret Catullum omnes Sapphici carminis versus transtulisse, statuere sane liceret, huius duas aut plures strophas easque extremas excidisse, Catulliani vero tam multas perisse, quam multae essent inter tertiam et ultimam interiectae. Quod nullo modo constat. Quin cum certo sciamus Catullum Sapphus carmen ad suum animi ardorem atque impetum exprimendum in Latinum vertisse, facile credimus, illum, qui versus ad id quod consequi vellet accommodati essent, eos sumpsisse, ceteros reliquisse. Quo in genere consentaneum est putare, id quod putaverunt, quae in quarta Sapphus stropha scripta sunt, ea in Catulli animum atque amorem non cadere. Fuit haec etiam opinio, dimidium versiculum, qui ex quinta Sapphus stropha reliquus est, cum postrema Catulli stropha posse quodammodo conferri (1). Si res ita se haberet, probabiliter concluderetur, quartam Sapphus stropham aut de industria non esse conversam aut, cum conversa esset, perisse: nemo vero dubitaret quin ultima Catulliani carminis ad hoc prorsus carmen pertineret. Sed quanam de similitudine loqui possumus, si unius vocabuli (τολματόν) fundamento nitimur?

Omnibus rebus diligenter expensis, nullam reperio causam, cur dicamus a carmine LI stropham quartam esse alienam, aut inter hanc et reliquas aliquid desiderari. Tamen ego quoque dissentio quemadmodum a

(1) "Quintae (strophae) dimidium versum *ἀλλὰ πᾶν τολματὸν* in illo *Otium, Catulle, tibi molestum est* expressisse creditur a Lachmanno ad Frankii Fastos Horatianos p. 237 et Nevio ad Sapphus fragment. p. 35." Ellisius, Ed.

Mureto, sic scribente: « beatum esse ait, quicumque Lesbiae aspectu et alloquio frui possit, post castigat se adfirmans tales cogitationes non nisi ex otio nasci », ita a Westphalio, qui illud intellegit, Catullum cum suo animo considerantem et Lesbiam nuptam esse et se ex hoc amore nihil aliud nisi incredibiles dolores et maximas molestias capturum, relinquendi otii consilium inire. Inter postremam stropham et primam, ubi Catullus, quid de singulari Lesbiae pulchritudine cogitaret, aperuit, ea interposita sunt, quae in « cogitationum » numero haberi non debent. Idem nullis verbis dicit sibi esse propositum ex amore atque otio ad meliorem se frugem revocare. Ut quam apte ultima stropha cum reliquis congruat, perspiciamus, satis est « tibi molestum est otium » ita interpretari: « quod versaris in otio, idcirco te amor totum incendit et perturbat ». Catullus igitur in extremo carmine malorum, quae persecutus est, id quod plerique viderunt, causam explicat. Qui si illud adfirmat, otium iam reges et urbes perdidisse, non ob eam rem adfirmat, ut ipse caveat et prospiciat, ne in perniciem incurrat. Cum ei amor « omnes eripiat sensus », nec plura timet nec maiora. Ideo, credo, regum et urbium mentionem facit, ut ipse intellegat, mirum non esse, quod sibi amor perniciem attulerit. Sed quid est quod Catullus in causam, quam dixi, inquirat? Rem breviter supra (p. 56) attigi, hic planius exponam. Carminum, quae ad Lesbiae amorem pertinent, ante hoc, sicut et alii censent et quibusdam ex verbis (« simul te aspexi ») apparet, nullum Catullus scripsit. Quapropter existimare licet eum et sentientem se, quod puellam omnium pulcherrimam eandemque nuptam adamasset, inconsiderate fecisse, et timentem ne ob hanc rem ab omnibus in primisque a Lesbia improbaretur, iam ipsum desidiam, tamquam amoris, quo incensus esset, causam, castigare voluisse.

Itaque cum sint qui propter ultimam stropham concludant, hoc carmen ad Lesbiam non esse missum, ego recte credi posse contendo, Catullum, sive illud missum est sive non est, quia in extremis versibus temeritatem suam ipse esset improbaturus, ideo tanta audacia fuisse, ut, quo flagraret amore, aperte ostenderet. Quae si non sumpta de medio, sed nimis exquisita videntur, oblivisci non debemus, illis, quos amor ceperit, ea non raro in mentem venire, quae homines, qui tranquillo animo sint et quieto, exquisitissima esse reperiant. Atque ad id confirmandum, quod defendo, ultimam stropham a reliquis nequaquam seiungi debere, non dicam, nullum in codicibus hic cerni vitii vestigium (nam ne Catulliani quidem codices semper apparet quibus laborent vitiis), sed illud statuo, « non molestum est » cum iis quae ante exposita sunt optime concinere. Etenim Catullus se ipse reprehendit, quod nimis exsultet nimisque gestiat: sed, cum eum dis beatiorem appellat, qui aspiciat Lesbiam et audiat suaviter ridentem, cum, omni moderatione et temperantia amota, eo se esse inflammatum amore et quasi occaecatum ostendit, a quo abesse debuerit quam longissime, non gestit, non exsultat nimis?

LIV 1 Otonis caput oppido est pusillum
Et eri rustice semilauta crura,
Subtile et leve peditum Libonis,
Si non omnia, displicere vellem
Tibi et Fuficio seni recocto:
Irascere iterum meis iambis
Inmerentibus, unice imperator.

Nimium quantum viri docti in hisce versibus expendendis (quos, ut sunt in codd., exscripsi, nisi quod V

in versiculo 6 habuit « sufficio seniore cocto ») inter se discrepant. Ut omittam Muretum, qui hac de re his se verbis expedivit: « omnino constat, fragmenta esse diversorum epigrammatum. sed ita lacera, ut non sperem umquam intellectum iri », alii putant duo esse epigrammata, verum aut neutrum integrum aut certe non integrum posterius, sive ad alterum versiculos 1-3, ad alterum versiculos 4-7 (Parthenius, Rossb.), sive ad illud versiculos 1–5, ad hoc versiculos 6–7 (Victorius, Muell. Birtius) pertinere statuunt; alii tenent unum esse epigramma, sed aliquid perisse aut post v. 5 (Sillig.), aut post v. 3 (unum versum Lachm. Haupt. Vahl., duos Schm., quinque Ell.) et post. v. 5 (unum omnes), aut post versiculos 1, 3, 5 (Ries.). Ecce aliqui nullas lacunas reperiunt, sed corrupta esse arbitrantur quaedam verba (Scalig. Vulp. Doer. Froel. Heys. Munr. Baehr. Schw. Herm. Postg.). Quamobrem existimandum sit nec unum esse nec integrum epigramma, equidem non invenio. Cuius sententia est, ut videbimus, omnino probabilis. In codicibus, fateor, inter versus 1 et 2 inserti sunt versus 16-17 carminis L; ex hoc tamen nihil cogi atque effici potest. Videmusne ut alieni versiculi iis etiam locis interiecti sint, ubi nihil desideratur? Consideremus igitur, quid sit emendandum.

In versiculo primo « est », si « oppido est pusillum » parenthesis signis includimus (Munr.), retinere licet: idem tamen a Scaligero Vulpio Doeringio Froelichio Heysio Schwabio Schmidtio recte arbitror deletum. Cum non illud mihi videtur, quod Munroni, ea verba, si a reliqua oratione segregentur, magis eminere, tum laudare non possum « crura » et « peditum » cum binis adiectivis esse coniuncta, omni autem adiectivo carere « caput ». In « Et eri » (v. 2.) nomen proprium quoddam latere negare non audeo. Congruentia partium, ut iam multi dixerunt, hoc quidem postulat. I-

taque repudiare debemus non solum « et heu » (Pleitn. S. p. 124, et « atque os Atrius pice » (Palm. Emend., p. 24) — « Caesar et tua » excogitavit Froelichius! —, sed etiam « et trirustice » (Munr). Quod vero nomen intellegere oporteat, compertum non habeo. Si unum eligendum est ex iis quae protulerunt viri docti (« Heri » Mur., « Vetti » Voss., « Neri » Muell., « Thori » Peip., « Therei » Schoell., « Macri » Nowach. » Listy 1886, « Afri » Baehr.), « Hirri » , quod coniecit Ellisius, libenter eligo, dum ille Hirrus designetur, qui et Caesaris fautor fuit et est a Cicerone in epistulis commemoratus (cf. Ell. Comm.). « Rustice », quod esse nomen proprium (post Statium Birtius B. p. 404 , qui tamen « Stercute » scribi oportere suspicatur) omnino nego, reiciendum existimo non modo si ipsum Caesarem significari (Doer.) debet concedi, sed si opus est interpretari: « tu, rustice Hirri » (Ell.). Hic enim verborum ordo, qui tribuitur Catullo, non confirmatur, ut credo, exemplis, quae allata sunt, Vergilii (Aen. VII 684) Persii (I 73) Manilii (II 439) Lucani (III 280). In omnibus quidem pro tertia persona secundam reperimus; sed in nullo quicquam est ambiguitatis. Perpendamus, quod satis erit, Vergilii verba. Quis legens *quos dives Anagnia pascit, Quos, Amasene pater*, « quos tu pascis, Amasene pater » non intellegit? At contra in Catulli epigrammate, quia et « semilauta crura » est sine pronomine (sc. « tua ») et paulo post (v. 5) scriptum est « tibi », facile adducimur ut putemus non Caesari, sed Hirro displicere debere ut caput Otonis, ita crura (quae, si hanc sequimur interpretationem, non Hirri sunt) et peditum Libonis. Ellisius quidem non ita rem explicat, nam et « tibi » cum arbitretur multos versus post v. 3 excidisse, a vocativo (Hirri) seiungit et in versiculo 2 « habes » (you, clownish Herius , have legs only half-washed.) intellegi iubet. Hoc tamen quo iure intellegemus? Facilius

ex « est » (v. 1) possumus « sunt » intellegere: verum « crura », cum « tua » desideretur, iam non Hirri erunt, sed Otonis. Quapropter ii acu rem tetigerunt, ut aiunt, qui cum « a » in « e » latere perspicerent, « rustica » scribendum censuerunt. In priore igitur epigrammatis parte Catullus haec dicit: Caesar et Fufici, si non omnia, at Otonis caput, Hirri crura, Libonis peditum vobis displicere vellem. Quae quidem turpissima sunt, sed labitur et fluit oratio. Altera pars, etiamsi punctum, ut plerique, post ultimum versum ponamus, a priore non discrepat. Existimare enim licet Catullum, animo prospicientem futurum esse ut sua verba nihil apud Caesarem valeant, huic iambos iam nunc denuntiare. Haec fere, quae quidem coniectura facile adsequimur, inter « displicere vellem » et « irascere » ille dicere omisit: « quoniam talia vobis nec displicent nec, tametsi a me vituperantur, placere desinent ». Itaque Scaligeri laudi qui, si versiculum secundum, ubi « Peri (imperat.), rustice » (vocat.) scribit, excipimus, epigramma princeps restituit, nihil fere est detrahendum. Ego tamen post extremum versiculum non punctum, sed interrogationis notam, quam volunt praeter Pleitnerum, S. p. 126, qui omnia corrumpit, Riesius et Hemesius Pr. 1888, ponendam arbitror. Si Catullus a Caesare quaerit, fiatne ut ipse bellum sit contra eum iterum suscepturus (Caesarem enim Catulli iambis irasci, Catullum in Caesarem pugnare prorsus est idem) optime « irascere » dicitur: non optime, opinor, si iambos ille vehementer minatur. Nam cur Caesari, ut ita dicam, Caesaris iram, non tela (cf. XII 10 *aut hendecasyllabos trecentos Expecta.* CXVI 8 *fixus nostris* (telis) *tu dabis supplicium*) denuntiat? Nec illud « immerentibus » neglegere debemus. Cum Catullus, nisi me fallit animus, hoc tandem intellegi velit, non esse sibi crimini dandum, quod ipse sit Caesarem

maledictis et ante insectatus et nunc iterum insectaturus, se quodammodo excusat. Quae excusatio mihi probatur maxime, si bellum ille coactus fere et invitus parat, si indicit audacter, aliena videtur.

LV 3 Te campo quaesivimus minore,
Te in circo, te in omnibus libellis,
Te in templo summi Iovis sacrato,
In magni simul ambulatione.
Femellas omnes, amice, prendi,

Nullo pacto ex eo Ovidii loco (Trist. II 287-294), quem attulit Ellisius, id effici liceat, quod non absurdum est efficere, fieri potuisse ut puellas Catullus in ipso Iovis templo inveniret. Sed cur eas, si apud aliquam earum Camerium latere suspicatur, in Pompei porticu tantummodo manu prehendit, cum eaedem frequentes inambulent in circo (cf. Iuv. III 65 *ad circum iussas prostare puellas*)? Itaque ponendum est punctum post versum 6, non post 5, ubi omnes fere ponunt, Lachmanno adsentientes. Catullus igitur prehendit et sciscitatur puellas non omnibus locis (1) — nam in tabernis librariis nulla sane earum interrogandarum oblata ei est occasio —, verum ubicumque invenit. Nec, si ita interpretamur, necesse est putare « simul » corruptum esse, ut putavit Pleitnerus, qui « passim » protulit. Falso enim quidam statuunt, nisi de rebus sermo sit, quae in idem cadant tempus, « simul » non recte dici. Haec scripta sunt apud Ciceronem, Lael. XIX 67: *verumque illud est, quod dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit.* « Simul » hoc loco non idem tempus designat, quan-

(1) " Femellarum prehensio non solum usu venit in porticu Pompei, sed omnibus, quae adiit C. locis „ Baehrensius.

doquidem, cum modium ederimus, et alterum et tertium et extremum edere debebimus. Nec illud existimo quod existimavit Baehrensius (qui, ut Hermesius et Birtius [De Amorum in arte antiqua simulacris MDCCCXCII p. V.] eandem distinguendi rationem tuetur, quam ego defendo), in versu 6 « te », quod « in » sequeretur, perisse. Si anaphora in tribus versibus est, non in quattuor, nihil offenditur. Quin etiam si « te » Catullus scripsisset, « simul », mea quidem sententia, quodammodo redundaret.

8 Quas vultu vidi tamen sereno.

Omnes fere codices habent « serena », quo ex vocabulo multo facilius « sereno », quod est in nonnullis libris, quam « serenas » elicimus. Atque ideo etiam opinor « serena » ex « sereno » non ex « serenas » ortum esse, quod, si « serenas » esset scriptum, propter « femellas » (v. 7) et « quas » non facile accidisset ut immutaretur. Quin censeo quosdam codices habere « serenas », quia primum versiculi verbum « quas » est. Post Lachmannum tamen, qui « serenas » ex D recepit, interpretes atque editores « serenas » adsumpserunt. Cuius rei causa non est, si verum sequimur, in unum Lachmannum conferenda. Idcirco « serena » scribendum esse arbitrantur, quod si « sereno » scriberetur, non constaret, ita enim adfirmant, utrum sereno vultu esset Catullus, an puellae. Itaque si illud demonstravero, serenitatem, ut ita dicam, vultus cadere non posse nisi in puellas, iam hoc demonstravero, « serenas » Catullo scribere necesse non fuisse. Qui scriptor timet, ne cui personae aut rei id propter verba tribuatur, quod nullo modo tribui per sententiam liceat? Qua in re non dicam a Catullo, huc illuc currente et festinante puellasque furti insimulante, serenum vultum esse alienum; dico me nullam causam,

cur ille sereno vultu aspiceret puellas (ad quam sententiam « vidi » non satis est accommodatum), reperire potuisse. Num periculum erat ne puellae, ut timidae et pudicae, quae erant meritriculae, severitatem Catulli extimescerent ac fugae se darent? Serenitas igitur vultus pertinet ad puellas. Nec serenae sunt, id enim omnes putant, cum tamen prehendantur a Catullo. Pallentne meretrices et perturbantur, si quis eas prehendat ambulantes in viis? Certe salsissima illa puella, quae interroganti Catullo roseas mammas ostendit, non perturbatur. At puellae id sane timere poterant, ne Camerii amorem amitterent (1). Quam multae igitur in amore Camerium habebant? Tam multas habuisse concludi debet, quam multae omnibus locis obviam Catullo factae sint, quoniam ne unam quidem occupavit timor. Itaque sic interpretor, Catullum puellas non esse omnes aggressum, sed eas apud quas credibile esset Camerium abditum latere; dico pulchras et venustas. Serenitatem vultus idem aliquando esse ac venustatem et pulchritudinem (vim nominis, quod splendorem significat, missam facio) illud Vergilianum declarat, Aen. II 286: *quae causa indigna serenos Foedavit vultus?* Hectoris enim non tranquillitatem animi, sed vultus pulchritudinem Aeneas commemorare potest, cum quia non hoc, quantum scio, proprium Hectoris fuit, tranquillo et quieto animo vivere, tum maxime propter Homeri, quem hic sequitur Vergilius, auctoritatem. Illius enim extincti foedeque in pulvere iacentis pulchrum caput laudatur in Iliade (XXII 402 ss. *κάρη δ' ἅπαν ἐν κονίῃσιν κεῖτο πάρος χαρίεν*) non frons tranquilla et serena. Nunc quid significet « tamen », de quo alii alio modo dispu-

(1) " Sunt igitur deprehensae; tamen tantam de Camerii amore confidentiam habent, ut serenum animum non exuant " Birtius. p. IV.

tarunt, statim apparet. Dixerat Catullus puellas, in quas incidisset, se prehendisse omnes: statim ipse se corrigit et festive monet, se tamen, quas pulchras vidisset, eas prehendisse. Cum igitur de sereno Catulli vultu nulla fieri possit mentio, nihil est quod « serenas » scribamus.

9 **A velte, sic ipse flagitabam.**

Ad « A velte » emendandum nostra aetate protulit Froelichius « Has ut te » (iam voluerant B. Guarinus et Muretus « Has te sic », Scaliger, cui adsensi sunt Vulpius Doeringius Silligius, « Has vel te sic »), Handius, Carmen LV ctt., « At vel te », Heysius « Aulum te » (« Auli » est in quodam codice), Pohlius, Sp. I p. 48, cuius sententiam secutus est Pleitnerus, S. p. 17, « A queis te », Peiperus « Aeger », Munro, quem nunc Ellisius probat, « Ain? te sic », idem Ellisius « Avellent » (iam Ed. a. MCCCCLXXV « Avellite sic », Pallad. « Sic avellitis », Avant. « Avelli sinite », Voss. « Ah avellite » et a. MDCCCXXXVI Doederlinus « Aullistis »=Avellistis), Riesius « Avertistis », Baehrensius, qui « vigili » pro « vidi » scribit, « Lustrans te », Schwabius, qui olim « Avens » coniecerat, « Has vellens », Hermesius, Pr. 1888, « Non est istic », Owenius, Cl. Rev. 1890, « Aversas », Birtius « Puellae ». Quibus coniecturis nulla est ea melior, quam fecit Birtius, quae pulchra est, cum si litterarum (PUELLE = AUELTE) tum si sententiae rationem habemus. Non idcirco censeo aliquid mutari oportere. Nam si verba distrahuntur hoc modo: « A vel te » (sic Lachm. et alii multi; deteriores quidam codd. « ah v. t. »), libri sunt errore vacui. Si nulla esse alia posset interpretatio, nisi Muelleri, qui ita scribit: « pertinet..... illud *vel sic* ad proximum *pessimae p.* », ego quoque aliquid emendare vellem. Sed « vel » ad « te flagita-

bam » pertinet. Quas puellas Catullus nactus est ven nustas, eas, ut vidimus, aggreditur. Quem quid magis e erat consentaneum quam, neglecto Camerio, id agere ut a ali-cuius earum sibi voluntatem conciliaret? Quod tam e erat consentaneum, ut una ex illis, sine dubio ad homi inis animum quibusdam quasi facibus incendendum, ut t A. Guarinus perspexit, roseas ei mammas ostenderet . (1). At ille sibi constans, nullis voluptatis illecebris inc en-

(1) " Rosarum galeros „ in roseis papillis intellegi posse , ut Ellisio adsentiens Birtius existimat, mihi non videtur, quamq uam et Amor non solum ἐπὶ ῥυτίδων ἕζεται (Anth. Pal. VII 217), sed etiam in rosis obdormit (Anth. Pl. 210, 32. Bergk., Anacr. 5), et papillae sunt cum feminarum tum (Pervig. Ven. 14 *surgentes pa-pillas, 21 Virgineas papillas*, Anth. L. Ries. 84,3 *papillatos cory nbos*) florum. Nam si hoc dicit puella, Camerium suis in mammis a bdi-tum latere, cum omnes feminae mammis praeditae sint, nihil est quidem addendum: si illud intellegi vult, Camerium inter rosa s, in canistro quodam, quod ipsa in manibus habeat, esse inclusum , ut omnia plana sint ac perspicua, nonne erit ante dicendum, eam has rosas et hoc canistrum habere? Nisi forte putamus omnes m ere-triculas et omnibus locis canistra rosis referta gestare consu esse. Accedit quod si in puellae mammas sermo cadit, " nudum „ i ntel-lego (v. ad h. l.); non intellego, si cadit in rosarum papillas. Quid attinebat id significare, Camerium latere in rosis non indutum ve-stibus, sed nudum? Nam si flagitanti Catullo puella respo ndet, amicum eius in rosis abditum esse, non aliam ob causa m id respondet, nisi quod de eo interrogetur, de quo minime sit i nter-roganda. Saepe in cotidiano sermone, si quis quaerat, ubi ali iquis inveniatur, cuius nobis custodiam nemo tradiderit, eundem n ostra in pera latere respondemus. Utrum nudus lateat an vestibus ob-ductus, nequaquam dicimus. Sed Birtius existimat et poemata, quae sunt de Camerio, quodammodo ad aenigmata pertinere (" Ego paene aenigmatica poemata haec duo de Camerio et esse senti o et esse voluisse Catullum confido „ p. VIII) et de industria Catul lum roseas papillas, cum in his ut puellae mammae ita rosarum ger-mina intellegi possent (" Ambiguitatem hac quoque in re cum stu-dio sectatum esse poetam confido; utitur enim omnino more ae nig-matico „ p. XIII), commemorasse. Quod non dico ipsum esse fal-sum, sed mihi videri falsissimum.

sus, vel Camerium flagitabat. Ex quo perspicuum est male Pohlium obicere Catullum Camerium quaerere, non alium quemquam (1). Atque ut illius « vel te » vim penitus intellegamus, considerari debet, ut mea fert opinio, « te » paulo ante esse et in 3 et in 4 et in 5 versiculo. Quod si huius loci sententiam recte sumus interpretrati, iam reperta est causa, quamobrem « a! », quod Handius maxime improbavit (2), Catullus dicat. Cogitat enim se id contendentem et laborantem, ut amicum perquireret et investigaret, omnes voluptatum ex puellis capiendarum occasiones amisisse. « Ipse » autem, pro quo Munro scripsit « usque », Pleitnerus et Riesius « saepe », Baehrensius olim « inde », mihi reiciendum videtur, si aut « meis ipsis labris » (Ell.) significat, aut horum alterutrum: « ego qui non soleo ita cum puellis loqui » (Hand. Baehr.), « ego qui dominus (3) tuus sum » (Birt.). Sed « ipse » verissimum est. Catullus pulchras puellas, in quas incidit, omnes prehendit. Si quis in via necopinato prehenditur et ab eo prehenditur, quem nunquam noverit, num tacet? Immo rei causam quaerit. At Catullus prehensis puellis nihil dat temporis; antequam illae aliquid dicere possint, Camerium flagitat. Non *illae* igitur, ut res postulabat, sed *ipse* loquitur. Quod quidem, cum clarissimum sit, nullis

(1) " Quid sibi vult illud... *vel te?* An alium etiam quaerebat poeta praeter Camerium? „ Sp. I, p. 47.

(2) " *ah*, quod in duobus libris inveni et cum Webero Lachmannus recepit, in allocutione admitti posset, ab hac narratione prorsus alienum est „ p. 11.

(3) " Ipse „ in hac verborum conformatione idem esse ac " dominus „ non puto. Sit tamen idem. Quomodo Catullus, quem saepius amicum appellat (cf. c. LV v. 7 et 14. LVIII[b] v. 10), ei in mentem revocare potest, se dominum esse? Nam quod Birtius docet, p. XL, Catullum " cum risu laetissimo „ Camerium amicum vocasse, " ut aenigmatis obscuritas adaugeretur „, id vereor ut cuiquam sit probaturus.

exemplis opus est declarare. Illud tamen animadverto, non dissimili ratione fortasse explicandum esse hunc locum Ovidianum, Am. I 8,101 ss.: *Cum multa abstuleris, ut non tamen omnia donet , Quod numquam reddas, commodet, ipsa roga.* Nam ideo Ovidius puellam monet , ne sibi velit ab amatore omnia donari, quod aliter , credo , ex hac large effuseque donandi consuetudine ille sit molestiam capturus. Antequam hanc igitur capiat , antequam quicquam deneget petenti , ipsa rogare debet , ut aliquid sibi detur mutuum.

11 **Quaedam inquit: nudum reduc**

Ad huius versiculi lacunam explendam Avantius scribendum censuit « nudum (vel « nitidum », quod Muretus recepit) sinum reducens ». Non modo multi ita scripserunt (Stat. Scal. Voss., — hic nescit utrum « reducens » legat, an « reduce », quod habent aliquot libri posterioris aetatis — Vulp. Doer. Sill. Heys. Westph. Muell. Cumpfeius—hic « mundum » vult non « nudum » — Listy philolog. 1883), sed etiam in aliis coniecturis (« nudum sinum recludens » Ries. Rettig. Nietzkius Jahrbb. 1880, « tunicae s. r. » Froel., « dextram ad s. reducens » Herm. Pr. 1888.) nomen sinus inculcatum est. Tamen neque Avantius neque ii, qui hunc aut omnino aut ex parte secuti sunt, illud curarunt (nam quid in unaquaque coniectura aut reprehendi possit aut reprehenderint viri docti , inutile est persequi) ut vitium intra unius loci terminos contineretur. Factum esse enim ut duobus aut pluribus locis in eodem versiculo aliquid periret , tum putandum est , cum aliud, quod veri similius videatur, putari non potest. Atque ob eandem causam repudianda censeo non modo « nondum domum reduce » Pleit. S. p. 17,

22) et « indusium (1) reducens » (Pohl. Pr. 1892): quibus coniecturis « nudum » praeterea removetur, quod est retinendum, sed etiam ea quae coniecerunt B. Guarinus (« tibi nudulum reduce ») et Handius (« tu nudulum reduce »); qui, si sententiam spectamus, ad verum, meo quidem iudicio, proxime accesserunt. Restant igitur « nudum reducta pectus » (Ell. Rossberg., Jahrbb. 1876, Postg.), « n. reduc cadurcum » (Ell.), « n. r. et aufer » (Birt.), « n. r. amicum » (Baehr.), « n. r. puellum » (Schw.). Quibus omnibus vitium uno in loco collocatur, et, quod plurimum valet, quo loco facilius quam aliis locis vocabula pereunt. Sed quam bene dicatur « reducta nudum pectus », non requiro: cadurcum autem, etiamsi concedere velimus hoc verbum esse ad sententiam accommodatum, non video cur puella reducendum det Catullo, non ipsa reducat. Baehrensium Schwabium Birtium, qui censent, « nudum » ad Camerium pertinere, maxime probo. Qui si in roseis puellae mammis latet, sine vestibus latet. Nec ut percipiamus puellam pectus aperire, id verbis opus est exprimere. Si Camerius in eius mammis habet domicilium atque illinc nudus deducendus est domumque reducendus, puellam de pectore vestem detrahere praeclare intellegitur. Quid autem erit veri similius quam Catullo enitenti et contendenti, ut Camerium inveniat, puellam, quae hunc retineat aut potius se retinere simulet (illa enim quid consequi expetat, certo scimus), dicere atque concedere, ut domum reducat? Reducere enim, ut notum est (cf. Mart. II 74,

(1) " Indusium, pro quo Varroni de L. L. V 30 p. 134 ed. Speng. a. 1826 iniuria placuit scribere *intusium*, cum potius ducendum sit ab induendo (cfr. Doederlini Lat. Syn. I p. 120), genus vestis interioris est et adstrictae membris, corpori adhaerens intra plurimas vestes, ut Nonius 14, 18 definit „ p. VIII.

2), saepe est reducere domum. Verum tamen et « au[illegible] fer », cum ante positum sit « reduc », quodammod[illegible] enervatum esse sentio, et Catullum « amicum » scr[illegible] psisse aut « puellum » (alienum non est animadverte[illegible] postremum superioris versiculi verbum esse « puel[illegible] lae ») nemo prudens, nisi caute, dicet. Equidem id v[illegible] cabulum restituendum puto, quo designetur Cameriu[illegible]s, sed, cum illius nulla exstet littera, post alias coniect[illegible] ras aliquid novi iure conici potest. « Misellum » igit[illegible]r ego conieci. Apud Catullum misella est puella qu[illegible]e Caecilium poetam amat (c. XXXV 14), misellus Se[illegible] ptimius, qui amore flagrat Acmes (c. XXXXV 2[illegible]). Accedit quod hoc adiectivo Catullus utitur et cum m[illegible]i- sericordia movetur (III 16) et cum simulat miserico[illegible]r- diam (XXXX 1). Si « misellum » est hic scribendu[illegible], in epigrammate quodam Martialis (IV 28, 7-8) d[illegible] inveniuntur verba quae sunt in hoc versiculo: *V[illegible]e glabraria, vae tibi misella: Nudam te statuet tu[illegible]s Lupercus.* Non est levitatis suspicari scribenti Marti[illegible]li Catulliani versiculi in mentem venisse; cum praeserti[illegible]n Cloes, quae hic exagitatur, eum amet, qui aut nup[illegible]r aut nondum ex pueris excesserit (1), Quae res « n[illegible]i-

(1) " Viri, saepius etiam mulieres, cum pusionibus, qui an[illegible]os aetatis quattuor vel sex haud excesserant, lusum gerebant, n[illegible]n sine venere „. Sic Birtius, p. X, qui alio loco, p. XL, concludit h[illegible]oc modo: " Camerius quia nudus dicitur, quia exiguus describit[illegible]r, quia ut garrulus sit, postulatur, ad pueros minutos aggregand[illegible]s est fuitque in Catulli consuetudine quod Sarmentus in Augusti [illegible]". Sed Birtius argumentis nititur, ut ego arbitror, non satis firm[illegible]s. Nudum quidem puella Camerium esse dicit, sed quia suis in ma[illegible]- mis latere adfirmat: cur autem id adfirmet, supra vidimus. A[illegible]d corporis exiguitatem haec ante omnia pertinent: " iam apud pu[illegible]l- las amicus inventus est et tantummodo *ferre*, id est auferre e[illegible]n non potest poeta; hoc autem non spectat nisi ad pondus homi[illegible]is plane prodigiosum: nempe auferre eum *Herculei labos est* „ p. VI[illegible]- VIII. At quis ita illud Catullianum " Te iam ferre Herc. l. e[illegible] "

sellum » quodammodo confirmat. Sed non existimo in Catulliano «nudum» eundem aculeum videndum esse, quem habet Martialis epigramma. Veri simile non est ut puella,

interpretabitur, siquidem de molestissimo quoque id cotidie dicimus, eum non esse ferendum, aut sine maximo labore atque incredibili patientia ferri non posse? Venio ad " libellos „. In quibus librariorum tabernas intellegere non dubito. Itaque ego quoque repudianda arbitror " tabernis „ " labellis „ " tigellis „, " stabellis „ " locellis „ " sacellis „, omnia denique quae ad hunc locum emendandum excogitata sunt. Sed consuetudo illa loquendi, qua Aristophanes ἐν τοῖς ἰχθύσι (Vesp. 755) dixit, nihil hic habeat ponderis: alia quidem concedere potero, sed numquam existimabo in " libellis „ volumina intellegi debere. Qui requiritur in circo, in porticu Pompei, in Iovis templo, is aliis omnibus locis potest requiri, nequaquam in librorum paginis. Restant papillae aut puellae aut rosaram. " Utramvis... harum interpretationum sequeris, inquit B. (p.XIII), minutulus semper evadet Camerius „. Cui rei non adsentio. Non solum si interrogamur de puero, ut in ea re verser, quam iam attigi, sed si de adulescente de iuvene atque etiam de sene, in nostra eum pera abditum latere (v. s. p. 194) aliquando respondemus.

Videamus de garrulitate. Propter hanc pueros " maxime placuisse „, quis negabit? At nec Camerius garrulus est, cum non loquatur, nec ullo modo dici potest, idcirco eum ad loquendum impelli, quod sit puer. Impellitur, quia tum, ut nunc, multi erant inanissimi adulescentes, qui maximam omnium voluptatem, quod Birtius (p. XXXVI) negare videtur, in iis narrandis pervulgandisque collocabant, quae sibi de puellarum pudicitia expugnanda cogitantibus aut re aut verbis prospere evenissent. Quo in genere plurimum valet Ovidii auctoritas, ita scribentis: *At nunc nocturnis titulos imponimus actis Atque emitur magno nil, nisi posse loqui, etqs.* (Ars Am. II 625).

Birtius quidem laudandus est, quod in accuratissima illa de pueris minutis disputatione, quaestionem attulit, quis esset Camerius, cum superiores id omnino neglegere consuessent: sed aliquot ei annos, non iure detractos, reddere debet. Quam multi reddendi sint, equidem nescio. Si Camerius, quod non alienum est putare (v. i. p. 205), in amore atque in deliciis erat Catullo, sic ponere licebit, eum eadem fere aetate fuisse, qua Manlii concubinum: cui iam os erat tonsurus cinerarius (c. LXI, 138 ss.). Nec alia esse potest Camerii aetas, si is nunc primum amatur atque amat. Nam

quae suis in mammis Camerium latere adfirmat, illud dicat, hunc a se exspoliatum atque expilatum iam domum reducere licere. Catulliana meretricula tam inelegans tamque illepida non est. Idcirco aliquid simile dicit Martialis, quia id spectat, ut Cloen puerorum amantem ad ridiculum convertat. Cui ipso Luperci nomine huius irridendi vitii occasio oblata est. Is enim ob eam rem dixit Lupercum nudam statuturum puellam, quod nudi incedere solerent Luperci.

Restat « inquit », quod nusquam alibi, id quod Pohlius obiecit (Pr. 1892, p. VIII), « ante orationem » invenitur. Si mihi esset persuasum falsum esse hoc vocabulum, « inquis », quod in medium protulit Pohlius, utrum adsumerem necne, diu multumque dubitarem. Litteras enim intuentibus optimum illud quidem videri debet, maxime vero incommodum et molestum suavitatem sermonis considerantibus, atque id non quod pronomen relativum postpositum sit (nam hoc multis locis post alia verba collocatum videmus, cf. Pohl. p. VIII), sed quia cum ipsum redundat tum orationem, quae molliter fluit, retardat. Quid igitur statuendum? Incredibilene est Catullum ideo, antequam aliquid commemoraret eorum quae dicta essent, ipsum dicendi verbum efferre voluisse, ut Camerium in summam exspectationem adduceret? Hunc enim mihi videor videre, praesertim si amore captus erat alicuius puellae, erectis auribus attendentem, quid quaedam responderit ex interrogatis puellis. Atque aliis quoque locis Catullus in verbis collocandis consuetudinem non tenuit (v. s. p. 42 et 79). Quod si « inquit » nullo modo esset ante ponendum,

ex illo " *nunc*... te tenent puellae " satis intellegitur, puellas eum antea non tenuisse; velut Iuventio, " cui *nunc* cordi est " " hospes moribunda ab sede Pisauri " (c. LXXXI), hic antea cordi non erat.

ita scribi oportere crederem : « Quaedam nudum, inquit ». Nam tale verbum removere, quod sententiae maxime conveniat, numquam audebo. Nec me ab huiusmodi emendatione hoc deterreret, quod iam altero vitio hic versiculus laborat. Suspicari enim liceret verborum ordinem nescio cuius librarii neglegentia esse immutatum : «misellum» autem periit ob aliam causam et fortasse sine librariorum culpa.

14 **Tanto te in fastu negas, amice?**

Ad «in», quod est in codicibus, confirmandum, nescio an non sint satis idonea exempla quae collegit Ellisius (Plaut. Bacch. IV 9, 91 *in stultitia si deliqui*, Liv. XXXVII 37 *Iliensibus in omni rerum verborumque honore ab se oriundos Romanos praeferentibus*, Prop. II 15. 11 *Non decet in caeco venerem corrumpere motu*). Si haec enim spectamus, illud « tanto in fastu », interrogationis signo, quod omnes fere ponunt, remoto, sic interpretari debemus: « cum tantus sit fastus tuus ». Nec vero quicquam obstat, quominus causa adferatur, quamobrem Camerius omnium conspectum fugiat. Qui cum videat se iure reprehendi, fieri potest ut aliam viam sequi velit. Sed licetne sic intellegere : « cum tantus sit fastus tuus » ? Tum, puto, liceret cum « magnus est fastus tuus » aut aliquid simile iam esset dictum. Nequeo tamen dissentire a Baehrensio «ten», quod coniecit Muretus et omnes receperunt, scribendum esse negante (« accedit *ne* ad vocem eletam, quae minime est *te* [cf. XLIII. 6], sed *tanto* ») : etsi ne «en» quidem probo, quod hic protulit. Estne « in » tamquam alienum delendum ?

17 Nunc te lacteolae tenent puellae:
Si linguam clauso tenes in ore,
Fructus proicies amoris omnes.

« Hunc te » (1), quod defendit Ellisius, « Me unctae », quod excogitavit Birtius (2), statim reicio. Quod autem omnes fere et putarunt et putant, Catullum a Camerio quaerere, isne a puellis teneatur, id mihi probandum non videtur. Namque hoc « num » — sic enim vulgo scribitur pro « nunc » — nullo modo cum illo comparari potest, quod est in versiculo 1 carminis LX. In quo, cum Catullus quaerat: « Num te procreavit leaena? », deinde: « Aut, Scylla latrans », aperte ostendit (si in fictis poetarum fabulis ita licet loqui) nihil se ea de re certi habere. Quem alicuius puellae amore Camerium inflammatum esse non fugit: cuius amore inflammatus sit, hoc fugit. Quamobrem id ipsum expiscari et scire conatur. Quid enim aliud spectat, cum « Dic nobis ubi sis futurus » quaerit? Nemo non videt, si hoc Camerius dixerit, iam Catullum, quam ille amet puellam, esse percepturum. Qui quod puellas, non puellam commemorat, non est idcirco dubitandum, quin quae Camerio sit in amore atque in deliciis, optet scire. Nam plurali numero non ad aliud utitur, nisi ad rem exaggerandam. Docet Gellius (II 13, 1) poetas et solutae orationis scriptores « etiam unum filium filiamve *liberos* multitudinis numero appellasse ». Et vero scriptum est apud Cicero-

(1) " *Hunc te*, the reading of the excellent British Museum MS. *a*, would however agree better with what follows. " Is this the kind of man you prove, you the devoted slave of fair women?„ i. e. can a man so devoted to love be so resolutely reserved? „

(2) " Catullus haec verba ex persona Camerii profatur atque Camerio suo loqui recusanti praeit ea pronuntians „ p. XXXIX.

nem, ut alios locos praetermittam, Imp. Cn. Pomp. XII 33: *An... ignoratis... eius ipsius liberos, qui cum praedonibus antea id bellum gesserat, a praedonibus esse sublatos?* Prov. Cons. XIV 35: *si ad iucundissimos liberos... redire properaret... nos tamen oporteret ab eodem illa... confici velle.* Sed tamen et M. Antonio clarissimo illi oratori una filia a praedonibus sublata est, et una fuit filia Caesari. Verum « multitudinis numero » non unus filius nec una filia modo, appellata est etiam una soror. Nam, etsi Clodio una cum sorore fuit res, Cicero non dubitavit dicere (Har. XXVII 59): *Quis umquam nepos tam libere est cum scortis quam hic cum sororibus volutatus?* Itaque ut liberos et sorores pro filia et sorore Cicero, sic dixit Catullus puellas pro puella. Quae cum ita sint, non opus est, « num» repudiato, « non » (Baehr.) scribere: « nunc », quod omnes codices habent, et Ellisius et Hermesius (Pr. 1888) retinent, oportet retinere: quamquam aliter atque Ellisius et Hermesius rem explico. Mihi enim ponendum non videtur, ut ille vult, post v. 17 interrogandi signum, aut, sicut hic arbitratur, duo puncta post v. 16 et punctum post v. 17 (1): post v. 16 punctum, duo puncta post v. 17 ponere debemus. Planius dicam: Catullus, qui illud adsequi vult, ut Camerius quae sibi sit in deliciis puella non timide confiteatur, hac utitur ratiocinatione: « Nunc (cf. LXXXI 5 et s. p. 200) lacteolae puellae te tenent: sed si taces (hoc etiam cernitur in errore esse Birtium, qui, existimans dicendum fuisse aut « si linguam tenebis-proicies» aut « si tenes-proicis », ita mutat: « sic... tenens »), nullum fructum ex amore capies ».

(1) " Gieb's der Sonne kund: dich fesseln jetzt die schönen Mädchen „, p. 20.

21 si vis, licet obseres palatum,
Dum vostri sim particeps amoris.

Ita scribunt, post Scaligerum et Vossium, Lachmannus Hauptius Schwabius multi alii (« vestri sim ego» Pallad. Avant. Mur.), cum « nostri sis » Statio Heysio Westphalio Rettigio Pleitnero Schmidtio Ellisio probetur. Si res est codicibus iudicanda, « nostri sis » scribere oportet, quia cum « vestri » O et G librorum auctoritate confirmari videatur (nam si in G est, ut in M, « $\overset{\text{al no}}{\text{vestri}}$ », illud « al no » posterior quaedam manus adiecit), omnes tamen codices habent « sis ». Accedit quod perfacile fuit « vostri » aut « vestri » pro « nostri » ponere, praesertim si verbum non omnibus litteris (in O est « ūri ») erat scriptum. Quae autem esse possit sententia, si « vostri sim » legamus, non equidem video. Si Catullus intellegi vult licere Camerio nihil aliis dicere, dummodo ipse eius amores habeat compertos, non solum, ut recte monuit Westphalius (p. 224), « ego » abesse non potest (1), sed ne « aliis » quidem post illud « obseres » potest. Legamus « licet obseres palatum » : cum « Dum vostri ego sim particeps amoris » legerimus, nonne quaeremus, quomodo Catullus de hoc amore edoceri possit, nullo ex Camerii ore verbo excidente aut labente? Quamobrem « nostri sis » (inscite adferunt «veri sis » Rossberg., N. Jahrbb. 1877, et Ries., « fausti » aut « dextri » Baehr., « clam veri si es » Herm. Pr. 1889) censeo scribendum. Verum tamen non

(1) Qui " ego „ inseruerunt, non sententiae, sed metro prospicere voluerunt, ut colligitur ex hisce Guarini verbis : " ultimum hoc carmen spondeum habet loco dactyli, quod alii, evitare volentes, sic legunt : *Dum vostri sim ego p. a.* „.

id, quod Westphalius, cuius interpretatio a Parthenii et Statii interpretatione non differt (1), intellego, muto esse Camerio licere, dum qui sint Catulli amores, discere velit. Nam si hic quo flagraret amore, ob eam causam, narrare exoptabat, ne omnes amoris fructus proiceret (2), cur, potius quam huc illuc curreret, ut Camerium perquireret, alium non adivit amicum nullis se tenebris occultantem? Cum igitur Camerium velit, Camerium investiget; Camerium vult, Camerium investigat non sine causa. Itaque, ut ego puto, admodum credibile est, Catullum ideo de suo amore Camerium certiorem facere optare, quod amet ipsum Camerium. « Dum nostri sis particeps amoris », si ita placet interpretari, sic est intellegendum : dum ne sis nescius me a te amari: participem enim esse alicuius rei idem esse atque aliquid scire, apparet etiam ex hoc Plauti versiculo (Pseud.497): *ánimum advorte núnc iam, Quaprópter gnati amóre te expertem* (=*non participem*) *hábuerim.* Quoniam Catullus id Camerio dicit, quod huic iam est cognitum atque perspectum, rem pluribus verbis explicare opus non fuit. Non interpretatus autem sum, ut Pleitnerus, qui c. XXIV 6 et Verg. Cat. XIII 11 attulit, aequo animo Catullum Camerii silentium ferre, dum hic ab illo se amari sinat, ne quis id, quod obiecit Birtius (pag. V), obiceret, « participem amoris eum esse,

(1) " Tu tuum amorem mihi quantumvis taceas, ego tamen te meorum amorum participem faciam, nec celabo quicquam „ Parth. " Ut tua, inquit, tu nos celas gaudia, nos te tamen nostrorum nobis amorum conscium esse volumus „ Statius.

(2) " In dem letzten Satze liegt das Motiv des ganzen Gedichtes; Catull verlangt so sehnlich nach dem Freunde, weil er mit ihm über seine eigene Liebe sprechen muss. Warum? Das hat er in den vorausgehenden Worten, die seinem Freunde sagen, wie nützlich es sei, in der Liebe auszuplaudern, hinlänglich motivirt „ Westph. p. 224.

qui partem tantum amoris capiat ». Illud tamen fortasse sumere licet, Catullum non amatorem adfari, sed amicum. Qui amatur, is totum sibi amantis hominis amorem vindicat; amicus, cum multi sint amici, partem amoris. Quae interpretatio quodammodo A. Guarino tribui debet haec scribenti : « Tace, inquit, locum in quo tu sis, dummodo propter hoc non desistas mihi amicus esse ». Omnia igitur Camerio Catullus permittit, ut amet, ut de amoribus efferat nihil, modo ne suam amicitiam fastidiat. Amicum potius quam amatorem spectari, ob eam rem veri simile esse puto, quod amici nomine ter Camerius appellatur. Amicus numquam dicitur Iuventius. Quem si Catullus appellat, « meos amores » (cf. c. XV 1, XXI 4) appellat. Recte de amore mentionem fieri, ubi sermo ad amicitiam pertineat, et aliis quidem scriptis et plurimis Ciceronis litteris cernimus.

LVIIIb Non, custos si fingar ille Cretum,
Non, si Pegaseo ferar volatu,
Non, Ladas ego pinnipesve Perseus,
Non, Rhesi niveae citaeque bigae
(Adde huc plumipedas volatilesque,
Ventorumque simul require cursum :
Quos vinctos, Cameri, mihi dicares),
Defessus tamen omnibus medullis
Et multis langoribus peresus
Essem te mihi, amice, quaeritando ?

Hic hos versiculos idcirco scripsi, quia est multorum opinio, male post c. LVIII in codicibus collocatos, ad c. LV pertinere. Antequam tamen hanc quaestionem

attingam, quae in iisdem insit sententia videre oportet.

Non prorsus existimo « essem » (v. 10) et « dicares » (v. 7) inter se iungi debere. Itaque, iudicio meo, nec est « ut » ante hoc ipsum « dicares » addendum (Postg. Journ. of. Ph. 1888, cf. etiam Ed.), nec putandum post « vinctos » haec fere excidisse: *Mihi tradat Eulus rex*: *Haec si inquam* (Baehr.), nec, deleto « quos », « si hos » reponendum (Pleitn.), nec, cum « dicares » scriptum sit, tamen « si dicares » intellegendum (Birt. et alii.). Non prorsus existimo in priore carminis parte id verbum vel dicam eam sententiam, cum qua « si fingar » et « si ferar » apte cohaererent, aut a Catullo de industria omissam esse (1), aut, sicut post Muretum arbitrantur Westphalius Pleitnerus Birtius, perisse (2). His versibus, quos sic scripsi, quemadmodum restituendos censeo, unus verborum ambitus continetur. Cuius prior pars constat ex vv. 1-4, posterior ex vv. 8-10. Illius verba (fingar, ferar) sunt praesentia, huius, si « defessus essem » est, ut est, a defetiscendo, « peresus essem » a peredendo, plusquamperfecta. Quorum vim esse imperfectorum (3) nullo modo exemplis declaratur, quae afferuntur. Etenim in carmine XXXIV 14-16 « dicta est » non idem est ac « diceris », sed ex hoc quod Diana antea est dicta Iuno Lucina, Trivia, Luna, colligimus eam iis nominibus etiam nunc appellari. In carmine LXIV autem « lanea morsa » optime « prius

(1) " In hac soluta oratione, in qua poeta verbis non *si fingar* incipit, tum alio se vertens verbum omittit, agnosco consilium, quo ille conditionem suam designaverit. Anhelare eum audimus ". Handius.

(2) Westphalius, qui c. LVIII[b] inter vv. 13 et 14 carminis LV inserit, hunc fere versum ante v. 1 excidisse putat: *Nec te prendere nunc amice possim*, hos fere Pleitnerus, S. p. 17: *Eheu quos subii miser labores! Frustra. Te nequeo invenire, amice,* Hunc fere ante v. 5 Birtius : *Non non inveniam tuas tenebras.*

(3) " **Persus essem** " *I should be devoured* ", *not* " *I should have been devoured* ". See on XXXIV, 14. 16, LXIV, 317 " Ellisius.

in levi fuerant exstantia filo », si iam non « erant exstantia », sed in Parcarum « aridulis haerebant labellis » (vv. 316-17). Ac plusquamperfecta, de quibus loquor, facile intellegemus, si quae Catullus non expressit verbis, explicaverimus. Haec igitur est, ut ego mihi statuo, tota carminis sententia: «Si fingar Cretum custos, si ferar Pegaseo volatu, si sim Ladas, pennipesve Perseus, si sim Rhesi bigae, atque ob hanc ipsam causam si, cum te, amice, quaeritabam, non meis viribus, non mea celeritate usus essem, sed viribus et celeritate Tali Pegasi, Ladae, Persei, bigarum ad Rhesum pertinentium, tamen essem cursu ac lassitudine confectus ». Et vero Camerius, quoniam eum Catullus adfatur, monet ne de suis amoribus taceat (LV 18 ss.), interrogat, quod maximum est, non ubi nunc sit, verum ubi sit posthac futurus (ib. 15), iam non est quaerendus. Qui si quaerendus non est, quomodo non poterit esse locus plusquamperfectis, sed est imperfectis (1)? Nihil autem mirum si una cum praesentibus sunt plusquamperfecta. Haec illi plusquamperfecto respondent, quod, nullo verbo a Catullo expressum, ego in medium protuli («usus essem»): praesentia adhibita sunt, id quod saepissime fit in exemplis fictis, quae vocantur, pro imperfectis. Sine dubio non multo facilius repuerascet et in cunis vagiet Cato (*si quis deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuerascam et in cunis vagiam, valde recusem* C. Mai. XXIII 83), quam in Talum, Ladam Perseum Pegasum Rhesi bigas Catullus convertetur. Atque ob eam rem, ut arbitror,

(1) Hoc etiam cernitur longe a vero Westphalium abesse, qui credat queri Catullum, quod *nunc* Camerium deprehendere non possit, cum et videat oculis et hortetur, ut patefaciat quam puellam amet. Quod Birtio nemo obiciet; quem si audimus, Catullus non Camerium, sed eius tenebras, quae quidem detectae non sunt, se invenire posse diffidit. De Pleitnero autem, qui omnia perturbat, dicere est supervacaneum.

in hoc carmine praesentia sunt et plusquamperfecta, quia Catullus ex altera parte id quod fieri non potest (ut ipse sit Talus ctt.) perinde considerat ac si fieri possit, ex altera intellegi vult futurum fuisse ut ipse, etiamsi ea celeritate usus esset, quae in fictis fabulis praedicaretur, tamen « defetisceretur omnibus medullis et multis langoribus perederetur ».

Dicet aliquis: Quid? idem est « si fingar » ac « si sim »? Nec « si sim » nec, ut omnes fere intellegunt, « si fiam », aut « si deus aliquis me faciat » (Baehr.). « Si fingar Cretum custos » sic interpretor: si quis fingat me esse Cretensium custodem (cf. Cic. Rosc. Am. IX 26 *Homines antiqui, qui ex sua natura ceteros fingerent.... crediderunt*, N. D. II 25, 64 *ex se.... natos* [*Saturnus*] *comesse fingitur solitus*, Tusc. III 26, 63 *Et Nioba fingitur lapidea propter aeternum, credo, in luctu silentium. Hecubam autem putant propter animi acerbitatem quandam et rabiem fingi in canem esse conversam*). Semel autem fingendi verbo Catullus utitur, quia tum utitur, cum primum adfert exemplum; in reliquis expeditius, ut ita dicam, procedit oratio. « Si ferar » igitur, non « si fingar ferri », dictum est brevitatis et varietatis causa. « Non », quod ad posteriorem partem pertinet verborum circumscriptionis, bene in priore et ante ipsum « si » esse positum fidenter aio. In quadam Senecae epistula (VI 7-8) scriptum est: *Sapiens.... ad omnem incursum munitus, intentus, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet.* Nec alio modo collocata sunt verba in illo Crassi adulescentis exemplo, quod attulit Cicero (De Or. II 40, 170): *Non, si Opimium defendisti, Carbo, idcirco te isti bonum civem putabunt.* Quin etiam hunc verborum ordinem invenimus, ut alios omittam, apud ipsum Ciceronem: cf. Cael. IX 21.... *vestrae sapientiae.... est, iudices, non,*

si causa iusta est viris fortibus oppugnandi M. Caelium, ideo vobis quoque vos causam putare esse iustam alieno dolori.... consulendi. De Or. II. 9, 37, *N si qui aliarum artium bene locuti sunt, eo minus id est huius unius proprium.* Quod si particula negans apud Propertium, qui hos versiculos aliqua ex parte imitatus est (III 30 1 ss. *nulla est fuga. Tu licet usque Ad Tanain fugias: usque sequetur Amor. Non si Pegaseo vecteris in aere dorso, Nec tibi si Persei moverit ala pedes: Vel si te sectae rapiant talaribus aurae, Nil tibi Mercurii proderit alta via*), non cum iis quae dicta iam sunt, sed cum iis quae mox dicentur, est conexa, hoc iustam quidem habet excusationem. Num Propertius quod « non si » retinuit, eum verborum ordinem, quem in Catulli carmine videmus, retinere debuit? Quin ob eam rem illas particulas, ut ego puto, retinuit, quia ei verborum ordini maxime convenirent, quem ipse ad suam sententiam esset accommodaturus. Qui ordo, quod plurimum valet, etiam apud alios poetas (cf. Horat. C. II 14, 2 ss. *nec pietas moram Rugis et instanti senectae Adferet indomitaeque morti; Non si tricenis quotquot eunt dies, Amice, places illacrimabilem Plutona tauris*), atque apud ipsum Catullum (cf. LXIX 3, LXXXVIII 8) reperitur. In versiculo tertio quarto quinto inest anaphora: num anaphora est apud Propertium? Ovidius, qui ex hoc eodem loco, si res spectamus, aliquid sumpsit, si verba, nihil, primos suae elegiae versiculos anaphora ornavit (Trist. III 8, 1 *Nunc ego Triptolemi cuperem consistere curru, Misit in ignotam qui rude semen humum; Nunc ego Medeae vellem frenare dracones, Quos habuit fugiens arce, Corinthe, tua; Nunc ego iactandas optarem sumere pennas, Sive tuas, Perseu, Daedale, sive tuas*). Num eo ornamento illum carere noluisse dicemus, quo hoc carmen Catullus distinxisset? Atque est animadvertendum statui non

posse eodem modo utrumque poetam verba iunxisse, nisi antea statutum sit unum aut duos Catulli versiculos perisse.

« Non », ut mihi videtur, ideo ante omnia verba collocatum est, quod Catullus animi quodam impetu incitatus (eius animum concitatum esse indicat ipsa eiusdem verbi iteratio) Camerii dicacitatem refellit. Nam, quemadmodum mihi rem cogitatione depingo, Camerius Catullo tamquam homini mollibus quasi tarditatibus in gressu utenti nulloque modo ad celeritatem idoneo (cf. LV 13 *Sed te iam ferre Herculei labos est*) lepidissime illudit: Catullus respondet, omnem vim cum corporis tum animi in eo perquirendo se item consumpturum fuisse, si eam celeritatem adhibuisset advocatam, quae nisi in fictis poetarum fabulis, nemini usquam esset concessa. Quod autem oratio est interrogantis, non idcirco debet illud « non » improbari. Nam non modo pro « nonne » alii, in his Cicero, « non » dicunt aliquando, sed Catullus semper « non », numquam « nonne » dixit.

Si carmen sic interpretamur ut exposui, non est ante v. 2 versiculus 3, ut multi putant (Froelichius versiculos 3-4 ante v. 1 ponit), collocandus, non « ego » ante « fingar » (A. Guar., Hand. p. 14, Pleitn. S. p. 17) aut « si » post « Ladas » (Scal. Voss. Doer. Froel. Heys. alii) addendum, non pro « niveae citaeque bigae », quos nonnulli genetivos esse duxerunt, qui nominativi sunt (1), aut « niveis citisque bigis » (Mur.) aut « nivea citaque biga » (Hand. Rossb. Muell. Schm.), ut sit quod illi « volatu » respondeat, scribendum. Nam nec « non Ladas ego » ex « fingar » pendet, nec « Rhesi niveae

(1) " Non, *si herus* niveae citaeque bigae „ Froel., " Ego n. c. b. genetivos esse puto „ Schw. Ed. a. MDCCCLXVI. " N. c. b. ist der Genitiv, welcher abhängig ist von volatu des vorausgehenden Verses „ Westph. p. 222. " scripsi *nivea* c. b., cdd. enim habent genetivum. „ Muell. p. XXI.

c. b.» ex « ferar » ; item ex hoc ipso « ferar » nullo modo pendet « Non Ladas e. p. P. » (1). In versiculo tertio et quarto verbum Catullus omisit, ut nos saepe omittimus in eodem genere et in cotidiano sermone (cf. *Io Lada, non mi sarei stancato ?*).

Restant versus 5-7, qui non sunt cum toto verborum orbe arte coniuncti, sed inter priorem et posteriorem eius partem, quasi membrum quoddam externum, interiecti. Fictas poetarum fabulas Catullus persecutus est multas: iam nullas persequitur; si alias tamen Camerius addere volet, ipse addet (cf. « Adde huc »). Quibus in versiculis nihil est aliud explanandum nisi illud « Quos iunctos mihi dicares ». Hic esse Catullum non tam elegantem et facetum, quam Homeri memorem nemo infitiabitur. Venti, quos ab Aeolo acceperat Ulixes, dum clausi fuerunt et constricti, summam quidem utilitatem navigantibus attulerunt, soluti et liberi nocuerunt maxime (Od. X 17 ss.). Catullo igitur dari debuerunt devincti. Ille velocitate usus esset non communiter universorum, sed singulorum separatim (2). Unde patet recte Benoistium (Rev. de Phil. III 1879, cf. etiam Ed.) « vinctos » defendisse, quod, ut fuit in G (3) et est in aliis codicibus, ita ponere licet esse in O,

(1) " *Ferar* must of course be supplied in 17, 18 „ (=3, 4) Ellisius.

(2) Nisi ita hunc locum licet explicare, magnam quidem vim habent, ut puto, haec quae acute obiecit Bonnetus (Rev. critique 1883): " Catulle énumère tout ce qui pourrait hâter ou soutenir sa course : comment, dans ce nombre, mettre les vents liès ? Dans le cas d'Ulysse un vent, le vent favorable, est excepté „.

(3) " *Vinctos*..... est la vraie leçon de G sous cette forme *uicto*. C'est une main postérieure très-facile à reconnaître qui a d'une autre encre que le premier copiste uni le second jambage de *u* à *i*; le signe remplaçant le point qui surmonte *i* est comme tous les signes de ce genre d'une autre main que celle du transcripteur „ Benoistius. Quae res codicis M, omnibus fere locis cum G consentiensis, auctoritate confirmatur, in quo scriptum est " uictos „.

ubi scriptum est « victos ». Itaque reicire oportet cum « cunctos », quod protulit Schraderus et probaverunt Heysius Westphalius Muellerus, tum « iunctos », quod habent nonnulli codices, adsumpserunt veteres interpretes atque editores, retinent post Lachmannum multi, in his Schwabius et Ellisius. « Dicares » autem est, ut grammatici aiunt, coniunctivus imperativus. Quoniam ad ea quae commemorata sunt, etiam ventorum cursum Camerio addere licet, ab ipso Camerio ventos sibi dari Catullus fingit. Verum cum hic totam urbem non sit peragraturus, sed iam peragraverit, non debet ille eos nunc dare constrictos, sed debuit antea.

Non esse hoc carmen, tamquam pulcherrimum, iudicio meo, valde laudandum, ex iis, quae paulo ante dixi, intellegitur. Quod tamen non ideo improbandum videtur, quia una verborum complexione, contineatur. Hac enim Catullus ob eam causam, ut ego arbitror, usus est, ut ille orationis circuitus ad sententiam accederet, qui ad eandem esset maxime accommodatus. Nam, cum tam longa sit verborum complexio, et celeriter hos versus legere debemus, et cum legimus, latera nos paene deficere sentimus, quemadmodum Catullum in « quaeritando » Camerio defecerunt vires.

Hos versus non modo, ut iis cernitur, quae hactenus disputavi, nec reliquias esse credo ullius carminis (Sillig. Leutsch.), nec eiusmodi carmen (id quod Birtius aliique tenent), in quo aliquid desideretur, sed ne existimo quidem ad carmen LV pertinere. Ad quod quae causa sit, quamobrem pertinere debeant, non perspicio. Primum in ipso carmine LV nihil deesse sentio. Deinde erit dicendum, ubi hi versiculi collocandi sint. Quos post v. 12, ubi scripti sunt in codice Parisino, qui distinctus est numero 8236, collocaverunt B. Guarinus Muretus Statius, post v. 13 (hic reperiuntur in editione omnium antiquissima) Lachmannus Hauptius

Handius Rossbachius Muellerus Rettigius Postgatius et, quamquam statuunt inter versiculos 13 et 14 aliquid perisse, Westphalius ac Baehrensius, post v. 14 Froelichius Schmidtius Ellisius, post v. 32 Avantius Scaliger Vossius Vulpius Doeringius Heysius, denique ante versum 1 Pleitnerus, qui censet ante hos versus duorum esse versuum lacunam explendam (v. s. p. 207), et Hermesius (Pr. 1889). Sed quae est eiusmodi collocatio, quae recte improbari non possit?

Ad carmen LV viri docti hos versiculos adnectunt propter quandam rerum similitudinem. Nam non credibile esse putant eadem fere in re Catullum bis esse versatum. At nonne bis eadem in re versatus est, sicut etiam Birtius animadvertit (p. VI), cum carmina V et VII scripsit? Quin ibi eadem est quodammodo persecutus; in c. LV et in c. LVIII^b, si versiculos, de quibus disputo, bene sum interpretatus, non eadem. Oscula enim poscit in c. V, oscula in c. VII; malorum hominum invidiam et in c. V et in c. VII extimescit. At contra cum in carmine LV narret quae loca adierit, ut inveniret amicum, inventumque hortetur ut, cuius puellae amore captus sit, confiteatur; in c. LVIII^b id agit ut amico suadeat, se in tam acri pervestigatione non minus virium amissurum fuisse, si ea facultate currendi instructus esset, quae, nisi in fabulis, nusquam esset inventa. Si igitur Camerii amicum irridentis arrogantia refellitur (v. p. 211), non unum atque idem est argumentum carminum LV et LVIII^b, sed hoc Catullus condere, ut ita dicam, coactus est, quod illud condidisset.

Videamus nunc quam ad normam horum carminum versiculi debeant scribi. In nullas esse strophas distribuendos eos qui ad c. LVIII^b pertinent, ne dicendum quidem puto. Sed etiam versiculi carminis LV liberi sunt et soluti, non, ut permulti post Handium

arbitrantur, strophis devincti. Nam si tales esse debent strophae, ut hendecasyllabus solutus contractum hendecasyllabum sequatur, quomodo hendecasyllabi 8 et 14 contracti sunt, non soluti? Atque omittamus v. 8, ubi « vidi » quibusdam viris doctis suspectum est, qui scribendum censent aut « video » (Hand. Leutsch. Westph. Benoist. alii) aut « vigili » (Baehr., v. s. p. 193): quo iure concedi poterit hendecasyllabum, qui solutus esset, inter versum 13 et 14 perisse, cum sententia perfecta esse reperiatur? Perierit tamen: delendus erit versiculus 22, qui contractus est, ut carmen concludatur versiculo, sicuti res postulat, soluto. Nisi forte statuimus quod Leutschius (Götting. gel. Anzeig. 1855) statuit, post versum 22 versiculum excidisse. Sed etiam ad c. LVIII^{b} mentem convertamus. In quo cum Leutschius non invenisset nisi duos (plures enim non sunt) versus contractos, conclusit hoc carmen a carmine LV omnino esse seiunctum atque alterum ex strophis constare, alterum non constare. Leutschius quidem laudandus est, qui non crediderit, quod multi crediderunt, Catullum id carmen fecisse, in quo strophae essent in prima et in postrema parte, non essent in media (1). Sed quomodo non sensit in c. LV ad versus in strophas tribuendos hoc satis non esse, quod hendecasyllabi alii essent contracti, alii soluti, cum item et ex solutis et ex contractis carmen LVIII^{b} constare videret? Quamobrem meum iudicium est Catullum modo contraxisse hendecasyllabos, modo non contraxisse varietatis causa, id maxime spectantem ut contracto uteretur versiculo, si contractus, soluto, si solutus esset habilis et aptus

(1) Ideo in media dixi, quia hic, ut notum est, plerique hos versiculos collocant. Qui quoniam ad carmen LV non pertinent, supervacaneum est videre quot et quibus modis pro varia eorundem in hoc carmine collocandorum ratione, violetur ea, quam statuunt, stropharum distributio.

ad sententiam. Cum autem contra eos, qui carmen LV ex strophis constare opinantur, sint versus 8 et 14, animadvertendum existimo et versiculum 14, in quo Camerius reprehenditur, quod magno se fastu occultet, optime esse contractum, et celeritatem versiculi 10, ubi puellae ad reddendum Camerium incitantur, maxime eminere, quia ei versiculo (quod non ita esset, si hendecasyllabus 8 solutus esset) tres antecedunt hendecasyllabi contracti.

LVI 3 Ride, quicquid amas, Cato, Catullum.
Res est ridicula et nimis iocosa.
Deprendi modo pupulum puellae
Trusantem: hunc ego, si placet Dionae,
Protelo rigida mea cecidi.

Nil mirum si omnium optimi codices « pro telo » habent, nam, cum « telum » notissimum esset, nihil magis consentaneum esse poterat quam « protelo » in duo verba dividere. Sed cur veterum editionum errorem retineant (etsi iam Statius et Scaliger *protelo* legendum esse docuerunt) et « pro telo » scribant Doeringius Westphalius Riesius Schwabius Postgatius Birtius (De Am. ctt. p. XIV), maxime miror. Ac primum recte dicitur: « cecidi rigida pro telo », ut intellegatur: « rigida, non telo cecidi »? Deinde quid est quod Catullus dicere velit, se telo non esse usum? Interficiendine erant pueri, qui trusarent puellis? Sed « protelo » dempto, vereor ut Catulli sententiam teneamus. Qui profecto cachinnum Catoni tollendum esse arbitratur non solum quod ipse pupulum puellae trusantem deprehenderit, sed etiam quia deprehensum aggressus sit et pedicarit. Nisi apparet pupulum nulla interposita mora (hoc enim « protelo » significat) pedicari, eundem pedicari trusantem unde colligimus?

LVII 6 Morbosi pariter, gemelli utrique
Uno in lectulo, erudituli ambo.

Pro « morbosi » Pleitnerus St. p. 123 « morbo sic » scribit, pro « gemelli » Hauptius p. 122 « tenelli » Baehrensius « macelli » (aliquantulum macri), pro « utrique » Hermesius Pr. 1889 « ubique ». Catulli tamen sententiam non hi solum, qui sic hos versiculos corrumpunt, sed omnes fere, ut puto, non habent compertam. Omitto Scaligerum Vossium Doeringium Heysium, qui, cum post « pariter » « utrique » « lectulo » distinguant, ne considerari quidem debent (sic distinxerat etiam Lachm. in Ed. a. 1829, qui postea, ut ante eum fecerant multi et post eum faciunt Haupt. Schw. Schm. alii ante « erudituli » non distinxit); sed quid intellegunt ii (qui plerique sunt) qui « utrique » et « uno in lectulo » separant? Nam etiamsi concedere velimus lectulum ad litterarum studia, ut ita dicam, designanda nominari (cf. Ov. Trist. I. 11. 38, Plin. Ep. V. 5,5) et Caesarem Mamurramque ob eam causam exagitari, quod iisdem dent operam studiis, non perspicitur, sicut etiam Baehrensius vidit, quorsum « utrique » pertineat. Post « gemelli » redundat omnino. Atque hoc ipsum « gemelli » ferri potest, si ante illud « utrique », ut Munro vult, comma ponimus, quoniam existimare licebit tali vocabulo id explicari et quodammodo augeri, quod ante (morbosi pariter) sit significatum. Aliter, dicere oportet, ut etiam exemplis Horatii cernitur (Sat. II. 3,243 *par nobile fratrum, Nequitia et nugis, pravorum et amore gemellum,* Epist. I 10,3 *cetera paene gemelli Fraternis animis*), qua in re sint Mamurra et Caesar gemelli. Nam Vahleni sententiam, censentis (Ind. Lect. Ber. 1880) « gemelli » idem esse atque « utpote gemelli », repudio. Sed ab omni alio vocabulo « gemelli » seiuncto, « utri-

que » et « uno in lectulo » iungenda sunt. Quis adfirmabit « utrique uno in lectulo » dici Latine? Itaque hi versiculi sic scribi debent, quemadmodum supra a me sunt scripti, quos non aliter scribunt Rossbachius et Muellerus. Mamurrae enim et Caesaris foedissimum quoddam reprehenditur vitium. — At « utrique » non est item supervacaneum? Non supervacaneum modo, sed plane absurdum, si id, quod vulgo tenent, putamus, Mamurram libidines Caesaris, Caesarem Mamurrae ut cinaedos excitare et satiare consuesse. Quod quomodo putari possit, non video. Hoc spectat Catullus, ut ostendat Mamurram et Caesarem in omni re esse inter se simillimos (cf. *maculae paris utrisque* v. 3, *morbosi pariter* v. 6. *eruditi ambo* v. 7, *Non hic quam ille magis vorax adulter* v. 8). Apertum est eum illa persequi debere quae, cum sint in utroque, in alterutro tamen abesse possent. Atqui si alter alterius libidinibus inservit, quî fieri potest ut alter cinaedus sit, alter non sit? Uterque igitur gemellus est, sed non eodem in lectulo: non una hi dormiunt, neuter tamen dormit solus. Si ita interpretamur, « utrique » est necessarium: cur autem non ita liceat interpretari, quid adfertur? Qui uno in lectulo gemelli sunt, possunt illi quidem, fateor, omni esse culpa vacui (cf. Ovid. Her. XIII 117 *Quando erit ut mecum lecto bene iunctus in uno*, Mart. IV, 40, 5 *Communis nobis lectus et unus erat*), verum cum Mamurra et Caesar, quorum vituperantur vitia, ob id etiam reprehendantur, quod non dormiant soli, haec non erit perspicue reprehensio vitii?

Restat versiculi 7 hiatus. Quem facile removemus, si pro « lectulo » scribimus « lecticulo », ut volunt Baehrensius Munro Riesius Schulzius (Zeitschr. f. d. G. W. 1876) Schmidtius Postgatius. Sed huius deminutio nominis, quam legitimam esse demonstravit Munro (p. 131), neque Latina consuetudine commendatur, neque C[illegible]-

tulliana: Catullus enim a ceteris scriptoribus non dissentiens « lectus » dicit (VI 10, XXXI 10, L 11, LXI 115, LXVIII 6) aut « lectulus » (L 15, LXIV 88). Hiatus autem eiusmodi est, qui nemini intolerandus videatur (cf. LV 4, *te in omnibus*). Quod si O « lecticulo » habet, illud existimo, librarium propter insequens « eruditùli » sic scripsisse, soni quadam similitudine adductum in errorem.

LIX 1 Bononiensis Rufa Rufum fellat

Ut exigua huius versiculi expleatur lacuna, non opus est coniecturis Westphalii (« Rufum egens » p. 137) Rossbergii (« R. edax » N. Jahrbb. 1877) Munronis (« rufum anus ») Schmidtii (« R. io ») Palmerii (« rufuli », nam Palmerius « Bononiensis » accusativum esse existimat Cl. Rev. 1891); siquidem iam apud Palladium (Ed. a. MD, Comm.) « Rufulum » est. Cui enim coniecturae haec emendatio non praestat? « Rufum » fuit in V aut errore quodam librarii, aut quod putatum est, quo in versiculo esset « Rufa », in eo recte nisi « Rufum » esse non posse; praesertim cum aliis locis (c. LXIX 2, LXXVII 1) « Rufus » reperiatur, non « Rufulus ». Quod autem alterum nomen deminutivum est, alterum non est, nihil prorsus animadvertitur. In epistula illa Timarchidi liberti et accensi Verris ad Apronium huius decumanum missa (Verr. III 66, 155), ut hoc adferam, scriptum est *Volo, mi frater, fraterculo tuo credas*. Quod si deminutio nominis « rationi carminis vix apta » videtur Schmidtio, mihi videtur aptissima. Nam aut fallor aut Catullus intellegi vult turpissimae Rufae carum vehementer esse Rufum, ut ea dignissimum.

LXI 4 **O Hymenaee Hymen**
O Hymen Hymenaee.

Sic (ut est in Aldina I et, ut alios praetermittam, apud Vossium) plerique post Lachmannum: cum Heysius Riesius Ellisius in v. 5 « Hymen o Hymenaee » legendum arbitrentur, quod et habet codex Laudensis et scribunt A. Guarinus Robortellus Landus Muretus Statius Scaliger Doeringius. Ego quoque censeo « O Hymen Hymenaee » restitui oportere; verum non propter versiculum 50 (« O hy [« i » O] men hymenee hymen »), cuius vitium, unde ortum sit, pluribus modis explicari potest, sed quia omnibus locis (vv. 5, 40, 50, 60), etsi hi sunt varie currupti, ab « o » versiculus oritur. Nam si in versu 5 multi codices, in his O B M N [illegible], habent « hymen o hymenee hymen », non est dubium, quin « hymen », quod ad glyconium pertinet, librariorum inscitia additum sit ad pherecratium, sicut apertum est « O hymenee hymen », non « O hymen hymenee » esse scriptum, quod quo ordine collocata essent verba in glyconio, eodem iterata sunt in pherecratio. Quin hac verborum collocatione aliqua ex parte confirmatur primam pherecratii vocem « O » fuisse. Etenim non aliam ob causam, arbitror, ita in pherecratio posita sunt verba ut in glyconio, nisi quod « o » ante Hymenaei appellationem esset in utroque. Neque id obici debet, in poematis Graecis (Aristoph. Pax II 1332 ss. ʽΥμὴ[illegible]ν, ʽΥμέναι᾽ ὦ, Av. 1736, 1742, 1754 ʽΥμὴν ὦ ʽΥμέναι᾽ ὦ, Eur. Troad. 310, 314 ʽΥμὴν, ὦ ʽΥμέναι᾽ ἄναξ, 331 ʽΥμὴν, ὦ ʽΥμένα[illegible]ι᾽, ʽΥμήν, Theocr. XVIII 58 ʽΥμὴν ὦ ʽΥμέναιε) numquam ab ὦ versiculi initium proficisci: ne appellatio quidem in illis poematis ab hac particula oritur, quae oriatur apud Catullum (vv. 4, 49, 59). Atque etiam apud Graecos ante appellatur Hymen, apud Catullum

Hymenaeus. Quod si in carmine LXII initium versus intercalaris (5, 10, 19, 25, 31, 38, 48, 66), quem Catullus a Theocrito sumpsit (XXVIII, 58), non ab « o » ductum est, ibi etiam iuvenes et virgines Hymenem appellant statim, non, ut puellae in carmine LXI, Hymenaeum.

> 31 **Ac domum dominam voca,**
> **Coniugis cupidam novi,**
> **Mentem amore revinciens.**

Cum veri simile non sit ut nova nupta, quippe quae ingenuo pudore tardetur (cf. v. 81 ss.), novi coniugis cupida dicatur, Baehrensius « cupidi novam » scribit. Verum si *nova nupta* et *novus coniunx* recte dicitur, itemne recte dicitur *nova domina?* Bonnetus (Rev. cr. 1883), cum quo magno opere consentit Weberus (p. 151), et post v. 31 distinguit et « coniugis c. n. mentem » iungit. Sed cuius in domum Hymenaeus vocat novam nuptam? Nam haec Weberi verba: « Primum si domina vocanda est, nulla alia omnino domus (sc. coniugis) cogitatur: deinde coniugis nomen, quo tota oratio tendit, ipsum statim subsequitur », nescio quam multis probentur. Nec est consentaneum, Hymenaeum, qui in coniugis domum puellam ducat, id agere, ut mentem illius, iam cupidam, obstringat ac devinciat amore. Omnino mihi videtur eum id dicere oportere, quod novam nuptam in coniugis domum introducendam maxime attingat. Cui nimirum iam domum ingredienti nuntiatur, in hac eam usque ad extremam senectutem dominam esse futuram (v. 158 ss.). Nisi illud « mentem » cum iis verbis iungitur, quibuscum nihil coniunctum habet, aliquid simile hic dicitur cum Hymenaeus invitatur ad novae nuptae animum devinciendum. Haec enim, si tamquam alligata erit et implicata ab Hymenaeo non minus arte quam

tenax edera huc et huc arborem implicat errans, ex coniugis domo numquam discedet. Quis putabit neglegi licere hanc orationis similitudinem? Itaque sunt, ut opinor, « domum » et « cupidam » inter se conexa. Baehrensius quidem vidit non absurdum esse illud intellegere, mariti domum cupide novam nuptam exspectare, sed propter verborum collocationem « cupidam » bene ab hominibus doctis ad « dominam » referri conclusit. Verum quia puer, qui Hymenaeum invocat, acriter, et paene dicam solam, animo intuetur coniugis domum, ideo « cupidam » et « domum » non temere inter se iungimus. Etiam aliis locis Catullus minus ordinis verborum quam sententiae rationem habet. Hic autem perspicua reperientur omnia, si non post v. 32 solum, ut omnes faciunt, distinxerimus, verum etiam post v. 31. Nam modo « domum » ante « cupidam » intellegamus, quod intellegimus facillime, haec erit sententia: domum dominam voca, domum novi coniugis, quae te cupit.

46 **Quis deus magis amatis**
Est petendus amantibus?

Cum « amatis », quod habent codices, dicatur brevi prima syllaba, producta secunda, hic autem opus sit eo vocabulo, cuius prima syllaba sit longa, secunda brevis, removendi vitii causa multae factae sunt coniecturae (« magis optimis » Avant., « m. ac magis » A. Guar., « m. a macris » Stat., « m. ah magis » Scal., « m. ac magis est » Leyser. Jahrbb. 1831, « m. ah magisque » Dawes. Misc. crit. p. 32, « aemulis » Hermann. Jahrbb. 1838, « m. ambitu » Hand. Qu. Cat. p. 8, post A. Colocciu m, « m. a diis » Froel., « mage mutueis » Pleitn. Hochzeitges. p. 2, St. p. 63, « magis a maritis'—'Est » Froehn., qui adfert *marite*, quod est in v. 142, et *marito*, quod est in v. 147, Philol. XIV, « m. in malis » Rossbach.,

« m. a catis » Heys., « m. ante alis » Rossberg. N. Jahrbb. 1877, « m. a! malis » Baehr., « m. innubis » Web. p. 152). Docti tamen homines, ceteris fere neglectis, quae quidem neglegenda fuerunt, aut receperunt « anxiis » (Lachm. Ed. II, Muell. Vahl. Schm. Ell.), quod excogitavit Hauptius (1), aut « est ama — (v. 47) tis » (Schulz. Zeitschr. f. d. G. W. 1876, N. Jahrbb. 1880, Ries. Schw. Postg. alii), quod coniecit Bergkius (Philol. XVI). At in coniectura Bergkii non solum vocabuli divisio, versiculo 86 (Au-runculeia)non satis comprobatur (bene Pohlius, Pr. 1892 p. X: « videndum est, ne hoc a nominis proprii liberiore ratione aliquam excusationem habere existimandum sit »), verum etiam « amatis », quod vim retinet participii, non vere defenditur exemplo carminis LXVII (*Brixia Veronae mater amata meae*), ubi « amata » idem est atque « cara ». Loci autem, qui ad Hauptianum « anxiis » confirmandum aut ab ipso Hauptio (Iuv. 10, 80 *Qui dabat olim Imperium, fasces... duas tantum res anxius optat*, Colum. de cultu hortor. 423 *Sed iam maturis flagitat nos anxius uvis Evius*, Appul. Asin. II 1, *Anxius alioquin et nimis cupidus cognoscendi*) aut ab aliis (Tib. I 3, 16 *Quaerebam tardas anxius usque moras*, Stat. Silv. I. 2,81 *quantos iuvenis premat anxius ignes*) allati sunt, nihil, mea sententia, confirmant. Recte populus Romanus panem et circenses *semper* anxius optat, recte Tibullus, omnia enim persequi non placet, *tum* anxius quaerebat moras, cum erat profecturus: at quo pacto omnes amantes sint anxii, aut, si non omnes anxii sunt, cur anxiis tandummodo sint nuptiae expetendae — alterutrum enim dicitur, si Hauptii emendationem sequimur — equidem non intellego. « Saucieis » nu-

(1) " Ex *ancxiis* totidem litterarum apicibus constans *amatis* facillime potuit oriri „ Op. I p. 18.

perrime protulit Pohlius (Pr. 1892), cui adsentiri non queo. Nam si ii qui amant, ideo amant, quod in eorum pectora Amor sua tela iecit, quid opus est « saucieis » dicere? Num sunt qui ament, cum saucii non sint? Nec exemplis utitur Pohlius satis idoneis. *Regina* enim *gravi iam dudum saucia cura* (Aen. III. 1) est quidem regina iam pridem amans, sed ob id i- psum Vergilius unum « saucia » dixit, non etiam « amans ». Apud Catullum « saucia » (*Multiplices animo volvebat saucia curas*, LXIV 250) non unius amoris vulnus significat. Si amore, at « aliis quoque curis variis », ut interpretatur Baehrensius, saucia est Ariadna, dolore in primis et furore. Quae ut Theseum fugisse sentit, *ardenti corde furens clarisonas imo ex pectore fundit voces* (vv. 124-125), *inopem ardentem amenti caecam furore* (v. 197) se ipsa dicit, Eumenidesque orat atque obsecrat, ne *suum vanescere luctum* (v. 199) patiantur. Theseus autem, cum patri mortem attulisset, *qualem Minoidi luctum obtulerat mente immemori* — animadvertendum est post hos versiculos eum versiculum reperiri, qui ad Ariadnam sauciam pertinet) *talem ipse recepit* (v. 247 ss.). Sed « saucia » nihil aliud nisi amoris vulnus designet: ut in Vergiliano versiculo, idem erit atque « amans ». Tibullus, ut hoc etiam dicam, *iaceo saucius annum* (II 5,109) scripsit, ut intellegeretur, se iam annum flagrare amore. Qui si « amo saucius » dixisset, cui non maximam movisset admirationem? Quibus perspectis concludo, quodnam verbum sit hoc loco restituendum, me prorsus nescire.

66 **Nulla quit sine te domus**
Liberos dare, nec parens
Stirpe nitier.

« Nitier », quod protulit Avantius (Ald. II), est ve the-

menter probandum. Primum non modo reperitur in Parisino, qui numero 7989 distinctus est, sed etiam depromitur ut ex G et aliis codicibus, qui « uicier » habent, sic ex O, ubi scriptum est « uities ». Deinde huiusmodi sententiam incognitam non esse scriptoribus Latinis et Statius (Lucr. IV 1248 *ut possent gnatis munire senectam,* Prop. IV 11,69 *et serie fulcite genus*) et alii (Plin. Ep. IV 21,31 *cui nunc unus ex tribus liberis superest domumque..... fulcit ac sustinet.* Cic. Cael. XXXII 79 *qui hoc unico filio* NITITUR), demonstrarunt. Non omnes tamen viri docti verissimam Avantii coniecturam secuti sunt. Protulit « iungier » Scaliger, quem probaverunt Vossius Vulpius Doeringius, « cingier » Schraderus, cui adsensi sunt Hauptius Muellerus Vahlenus, « vincier » Lachmannus, quocum consentit Rossbachius; praetermitto enim « dicier », quod est in Philippensi, apud A. Guarinum Muretum Landum alios, sed his temporibus, quantum scio, a nullo receptum est, et « evincier » (= demonstrari), a Pleitnero allatum, qui praeterea censet (Hochzeitges. p. 25) « stirpi » esse legendum. Harum tamen coniecturarum quam non liceat vocare in dubium, non invenio. « Cingier » — etsi illud Ciceronis *ponor ad scribendum,* Fam. IX 15, 4, et ea quae sunt generis eiusdem considerantes, aut censentes aptum hic locum esse verbo passivo, « se cingere » non malumus — potius « filiis » postulat quam « stirpe ». Accedit etiam quod haec coniectura aliquantum abest a codicum litteris. « Iungier », si ea esse debet sententia, quam vult Scaliger, qui sic scribit: « parentes ex non iusto coniugio non posse transmittere hereditatem ad liberos », profecto Catullus, nisi plus aequo audientium tribuit aut legentium calliditati, non dixit. In iungendi quidem verbo interdum eadem vis inest, quae in verbo continuandi, sed apud Plinium (Ep. IV 9, 10 *verebar ne me corporis vires iterato labore desererent, quem*

difficilius est repetere quam iungere) — locus enim Ta- — citi, Dial. XVII 30, non debuit adferri — illud « iungere » opposito « repetere » maxime declaratur. Postremo « vincier » ut reperitur in quibusdam codicibus inferioris aetatis, quo in numero est D, ita sine labore elicitur ex G O M. Qua in re tamen vincitur parens Si ea intellegenda est victoria, quae significatur in locis, ab Ellisio allatis (Exc.), Claudiani (de IV Cons. Hon. 430 *Iam natus adaequat te meritis et, quod magis est optabile, vincit*) et Apollinaris Sidonii (Ep. III 2, VII 9 Contio fin. VIII, 7, 3), non modo est illud obiciendum, quod Ellisius obiecit, huius generis sententiam bene in Claudiani et Sidonii aetatis homines cadere, non bene in eos qui fuerunt Catulli temporibus, verum etiam quaeremus, matrimoniumne facere possit et soleat, ut singuli patres a singulis liber is cum virtute animi tum maximis in rempublicam meritis vincantur. At possint patres et debeant in his rebus vel in aliis (« superari ut maiorem nepotum videat subolem » B. Pisanus) a liberis vinci; aio « v incier stirpe » nullo alio addito verbo, esse obscur issimum.

77 Viden ut faces
Splendidas quatiunt comas?
Tardet ingenuus pudor:
Quem tamen magis audiens
Flet quod ire necesse est.

Quattuor versiculos mihi persuasum est hoc loco cidisse. Lachmanni enim opinionem, quam secuti s Hauptius Heysius Pleitnerus Vahlenus alii, censentis hil interisse, sed esse inter v. 110 (Prodeas nova nup et v. 111 (O cubile quod omnibus)—ante quem tamen ri docti unum versum (Lachm. Haupt. Pleitn. Vahl.)

quattuor (Heys.) deesse iudicant—versiculum 80 inserendum (Quem tamen), probare nullo modo possum. Nec magis Rossbachio et Schwabio adsentior, hunc versiculum non post v. 110 traicientibus, perperam tamen collocatum existimantibus. Nam etsi ita non movetur loco versiculus 111, a quo, sicut alii saepe dixerunt, initium strophae optime proficiscitur, nihilo minus ii versiculi putantur seiuncti, qui sunt coniunctissimi. Nam quid est quod « quem » (« quae » scribunt Scaliger Vossius Vulpius Doeringius, qui, ut in antiquissimis editionibus fieri videmus, versus 94, 95 [Sed moraris — nova nupta] cum post v. 78 tum post v. 83 iterant) non sit continuo post ultimum versiculi 79 verbum (« pudor ») legendum? Ex quo iam intellegitur me etiam a Muellero et a Ziwsa (Wiener Studien 1882) dissentire, post v. 79 quattuor versiculos excidisse statuentibus: illi meo iudicio, quid in hac re verum esset, perspexerunt (Ell. Ries. Postg.), qui hunc ipsum versiculorum numerum post v. 78 desiderari arbitrati sunt. Verum « tardet » neque a tardendo (Scal. Vulp. Muell. Baehr. Ell.) esse puto (Avant. A Guar. Mur. Stat. Doer. « tardat »), neque causam (« cunctatur, cum eam tardet ingenuus pudor » Ries.) significare. Ideo Catullus, quomodo mihi persuadeo, « tamen » scripsit in versiculo 80, quod huius sententia superiorum versiculorum sententiae esset opposita. Censeo enim in versibus, qui perierunt, virgines, per puerum sui chori principem et ducem, Aurunculeiam hortatas esse, ut patris domum, iam pudori non parens, relinqueret. Etsi cavere haec debet, ne se « tardet » pudor, pudori aures magis patefaciens, non moratur solum, sed etiam flet. Est igitur « tardet », ut suspicor, verbum modi coniunctivi, idemque ex quodam eorum verborum pependisse arbitror, quae aut « ut » aut « ne » particulas postulant.

106 Lenta sed velut adsitas
Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum.

« Sed », quod unus O habet, etsi perpauci probaverunt (Baehr. Ries. Schulz.), cum ex tradito « lentaque » alii « lenta quin » (Avant. [ed. Trinc.] Mur. Stat. t. Passer. Haupt. Froel. Heys. Pleitn. Muell. Schw. Vahl. l. Schm. Postg.) alii « lenta qui » (Ald. I, Guar. Scal. —, qui « quei » scribit, Voss. Doer. Lachm. Rossb. Ell. —) depromant — cum « quin » tum « qui » est in quibusdam codicibus interpolatis—tamen ad ipsum Catullum pertinere existimo. « Qui », ut commode abesse potest, hoc enim pronomine sublato, satis sententia intellegitur, sic pulchram vitis similitudinem arbores implicantis interrumpit quodammodo et impedit. « Quin » autem recipiendum non videtur, si Catulli respicimus consuetudinem. Qui cum ad ea quae dixit aliquid maius addit, si iis quae dicta sunt praeposita est, ut hoc loco (*non... a tuis... volet Secubare papillis*), particula negans, semper « sed » (cf. XIV 10, XVII 18, L 11, LXII 51, LXIV 141, LXVI 92, LXVIII 145, atque etiam ipsum c. LXI 178), numquam « quin » dicit. Haec particula apud eum aut idem est atque « cur non » (cf. LXXVI 11, *quin tu, anime* [sic enim emendo], *offirmas)* aut reperitur post verba impediendi (XLIV 18 *nec depr ecor... quin... ferat,* LXVI 72 ss. *non... tegam... vera... qu in evolvam*) et dubitandi (CVIII 3 *non dubito quin*). Facillime autem in libris « sed » (s;) et fieri posse « quae » (q;) et fieri, vix est dicendum·

124 Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.

Ita legendum est omnibus locis, usque ad versiculum 190. Quo in genere mihi mirum videtur his temporibus viros doctos quamplurimos a codicibus rec e-

dentes, sed Lachmanno adsentientes (codices in v. 125 idcirco « io » habent post « hymenee », quod hoc vocabulum ex superiore versiculo iteratum est),

O Hymen Hymenaee io
O Hymen Hymenaee

(sic iam Ald. I) scribere (1), cum tamen Dawesius (Misc. cr. p. 33) et, ut alios praetermittam, aliquanto post Munro p. 138 docuerint « io » esse in priore singulorum versuum parte unius syllabae verbum (cf. apud Varronem L. L. VI 68, M. poetam comicum quendam: *Io bucco! quis me iubilat? Vicinus tuus antiquus*, et Mart. XI 2, 5 *Clamant ecce mei io Saturnalia versus*), duarum in posteriore (v. i. p. 211).

Nec nuces pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amorem.

Nec « dolens » (Pleitn.) nec « a dolens » (Baehr.) nec « videns » (Schw.) nec « arguens » (= « demonstrans »), Web. p. 153) pro « audiens » est reponendum. Concubinus sciebat ille quidem se iam non esse in amore domini, sed non ob hanc causam nunc, cum iuvenes et iubent dari pueris nuces et clamant dominum servire velle Talasio, id quod antea perceperat non audit. Atque, ut illud « audiens » penitus intellegamus, concubino iam scienti fingamus haec dici a iuvenibus: « Audisne? (cf. « Ne diu taceat procax Fescennina iocatio ») amore uxoris amorem tui eiecit dominus; pueris dandae sunt nuces » : quid est reprehendendum? Quod si nihil reprehendendum est hic, bene quidem dicitur, concubinum, qui sui amorem eiectum audiat, pueris nuces dare oportere.

(1) Heysium qui " O Hymen Hymenaee io — Hymen o Hymenaee o „ legendum arbitratur, et Riesium, vel dicam Statium (hunc enim secutus est Riesius) qui " Hymen o Hymenaee, io, — Hymen o Hymenaee „ ad arbitrium suum scribit, neglegendos existimo.

132 **satis diu**
Lusisti nucibus : lubet
Iam servire Talasio.

Quamquam etiam Ellisio (Comm.) videtur veri simile esse Catullum «iubet», quod reperiatur in quodam musei Britannici codice et in Landi commentario, scripsisse (de Pleitneriano «iuvet» nihil dico), frustra tamen Baehrensius, ut arbitror, hoc ipsum «iubet», a Schradero inventum, defendit. Ii quidem Talasio serviunt, quibus hic suum iugum imponit. Quod impositurus est Manlio et Aurunculeiae, non item concubino, qui nullam ducit uxorem. Si vero «iubet» legimus, ob eamque rem «Talasio» nominativum esse non dativum putamus, quem praeterit concubino, quippe cui illa verba «satis diu lusisti nucibus» dicantur, Talasium ut serviat imperare? Quod si interpretari volumus Talasium iubere non sibi, sed domino concubinum servire, primum miror esse deum, qui aliam servitutem denuntiet, non eam in quam ipse homines abducere possit; deinde scire cupio, liberne antea fuerit concubinus. Qui cum a domino iam non ametur, ex urbana quidem familia reicietur in rusticam, sed iam antea servitutem serviebat. Quamobrem et Catullus «lubet» scripsit et «Talasio» est dativus. Sequitur, quoniam, cui lubeat, non dicitur, ut sit «domino» intellegendum. Quod ideo abest, quia nihil aliud intellegi licet. Atque «lubet», etiamsi nihil contra Schraderi emendationem vere disputari posset, multo magis, quam «iubet», cum contemnatur et derideatur concubinus, meo iudicio probari deberet. Nam si «iubet», legendum esset, concubini amor, quod ita vellet Talasius, repudiaretur; cum «lubet» legimus, repudiatur, quod ita placet domino. Nec est praetereundum, verum esse «lubet» etiam ex «lusisti», cum in utroque verbo eaedem sint primae duae litterae, satis apparere.

158 **Quae tibi sine servit.**

Avantii coniecturam (« sine fine erit »), quam memoria nostra receperunt Lachmannus Hauptius Rossbachius Muellerus Vahlenus, ob eam etiam rem improbo quia « fine », quod habent cum D et alii codices inferioris aetatis, tum antiquissimae editiones, profecto est (nam saepe in libris « fine » et « sine » non differunt inter se) verbum iteratum. Verum tamen B. Guarino Pisano Pontano Perthenio « serviat » pro « servit » scribendum esse censentibus non ego adsentior (omitto « seni [« sene » Scal.] tibi serviet » Statius, « quo tibicine [=columna] serviat » Vossius, et omnes alias coniecturas, quae cuique falsae primo aspectu videntur), ut adsensi sunt Passeratius Silligius Handius Froelichius Heysius Pleitnerus Schwabius Baeherensius Schmidtius Ellisius Postgatius. Hoc ipso quod nova nupta coniugis domum ingreditur, haec illi serviet. Quo igitur pacto sinere debebit nova nupta sibi domum servire? Nec veri simile est sic dici: « sine tibi serviat domus », ut intellegatur « velis esse uxor Manlii »; siquidem iam et hic babetur maritus et Aurunculeia his verbis: « quae tuus vir petet, cave ne neges » monita est. Verum esto, serviet domus, si eam servire nova nupta sinet: quomodo intellegendi erunt qui sequuntur versiculi: « Usque dum tremulum movens Cana tempus anilitas Omnia omnibus annuit »? Nec enim video quam sit ferendum ipso nuptiarum die novae nuptae animum tamquam a divortii cogitationibus quodammodo abduci: nam haec, nisi divortium cum coniuge fecerit, in coniugis domo quam diu vivet et domina erit et regina. Aliud est si Hymenaeus efficere debet ut uxor tamquam amoris laqueis constricta usque ad extremum vitae spiritum (cf. v. 33) haereat in mariti

domo, aliud si ipsa nova nupta monetur ne ab hac velit umquam discedere. Itaque « serviet » (« et scriptus liber et veteres editiones non *erit*, sed *serviet* habent» Scal.) non « serviat » restituendum arbitror, « bene » praeterea, non « sine » legendum. « Bene servire » est etiam, ut alios scriptores praetermittam, apud Ovidium, Her. XIX 89 *Ipsa tibi dices, ubi videris omnia ferre*, « *Tam bene qui servit, serviat iste mihi* », et apud Martialem II, 32, 7 *Non bene, crede mihi, servo servitur amico*. Quomodo vitium in codicibus ortum sit, pluribus modis explicari potest. Mihi tamen credibile admodum videtur, cum propter « E » et « I » litterarum similitudinem aut propter « tibi », quod in hoc ipso versiculo est, scriptum esset « binc », pro corrupto verbo « sine » esse substitutum.

> 171 **Aspice unus ut accubans**
> **Vir tuus tyrio in toro**
> **Totus immineat tibi.**

Non modo « imus » (Fruterius, Ep. ad G. Canter., Scal.) « unctus » (Barth. Adv. p. 2172) « udus » (Heins.), sed ne « intus » quidem, quod protulit Statius et omnes fere probaverunt viri docti, pro « unus », quod habent codices, scribi licere censeo. Paulo ante (v. 166, ss.) haec audierat nova nupta: « Transfer omine cum bono Limen aureolos pedes Rassilemque subi forem ». Quae quoniam ea fecit quae iubentur, domum ingressa quidem est. Eandem ingressam esse etiam ex versiculis 181-183, siquidem viri cubile iam adire debet, et adit, plane intellegitur. Et tamen ex versiculis 171-180, qui inter hos interiecti sunt et illos quibus nova nupta ad ingrediendum in coniugis domum invitatur, si « intus legimus », perspicuum est eam coniugis domum nondum intrasse. Quae si intravit, quomodo « aspice intus » dici potest? Itaque persuasum mihi est « unus », quod Vossius *Vul-*

pius Lachmannus Ellisius retinent, non esse repudiandum. Profecto nec « seorsum » nec « solum » Manlium accubare intellego: « unus » et « totus immineat », non « unus » et « accubat » inter se iungere debemus. « Unus » igitur sententiam auget. Manlius non modo totus imminet Aurunculeiae, sed unus omnium imminet totus. Ceteri puellam aspiciunt et, si placet, admirantur, ille oculis contemplatur, ut Martialis verbo utar, devorantibus, incensam animi cupiditatem omnibus patefaciens. Verba autem, quem ordinem pro sua quodque vi postulat, eo plane sunt disposita. Ob id « unus » est in primo strophae versiculo ante ipsum « ut » collocatum, ob id « totus immineat tibi » in tertio.

176 Illi non minus ac tibi
Pectore uritur intimo
Flamma, sed penite magis.

Causa quodammodo adfertur cur novae nuptae totus vir immineat advenienti. Ille non minus penitus (cf. « intimo ») quam haec amat, quin amat magis penitus. « Sed » igitur hoc loco idem, quod paulo ante, (v. ad v. 106) significat; siquidem *non a tuis volet secubare papillis, sed implicabitur in tuum complexum* his verbis commode explicare possumus: *non modo a t. nolet s. p., sed etíam i. i. t. c.* Itaque sententia nihil habet offensionis, nam neque contra naturam tectius amat vir quam puella, nec, tamquam si puellae iam viri amor satis sit cognitus atque perspectus, ad versiculos 172-173 versiculi 176-178 accedunt inepte. Respuendum tamen arbitror « uritur », quod, si iam pridem suspectum est nostris, placuit Scaligero, cui omnes fere obsecuti sunt posteriores. Nam etsi notissimum illud πῦρ δαίεται adferunt, recte obiecit Baehrensius flammam urere non uri. Non ego tamen Muretum eosque

veteres editores probo, qui « ille » pro « illi », « atque tu » pro « ac tibi » legunt, maxime autem Baehrensium improbo scribentem « Illa (sc. « flamma ») non minus hic tibi Pectus uritur intimum Flamma ». Quorsum enim « hic »? Aut quid attinet certiorem facere novam nuptam novae nuptae animum non minus quam viri flagrare? Non « uritur » hoc loco, sed « ardet » requiritur. Quamobrem pro « uritur » « ardet in » restituo. Hic igitur dixit Catullus *flamma ardet in intimo pectore*, ut in versiculo 16 carminis XLV *ignis ardet in mollibus medullis*. Quomodo ortum sit vitium, mihi plane videor intellegere. Scilicet cum ad verbum praepositio adhaesisset, « ardetin » exstitit, quod propter « i » et « e » litterarum, propter « in » et « ur » syllabarum similitudinem « arditur » vel etiam, quoniam « a » et « u » litterae saepe inter se non differunt, « urditur » legi poterat. Nihil autem negotii fuit « uritur » interpretari, « flamma » praesertim insequente.

186 bonae senibus unis
Cognitae bene (1) feminae,
Collocate puellulam.

Optime Statium « viris » ex tradito « unis » elicuis-

(1) The MSS have either *berue* or *breue*. If *breue* is retained, it can only mean that the women acting as pronubae had married old men and had enjoyed the pleasures of married life for a shorter time than other women: were therefore selected as specially chaste „ Ellisius. Sed si boni ominis causa illa femina idonea erat, quae esset pronuba, quae uni nupsisset viro (cf. Serv. ad Aen. IV 166 *Varro pronubam dicit, quae ante nupsit, quaeque uni tantum nupta est, ideoque auspices deliguntur ad nuptias*), non ex iis profecto deligebantur pronubae, quae paulo ante essent in matrimonium collocatae. Nam si illud erat optandum ut numquam nuptiarum vincula rumperentur, non apparet quod faustum huius rei omen posset ab iis nuptiis, ut ita dicam, proficisci, quae nondum essent diuturnae. Itaque scite nostri (Calpurn. Ed. a. MCCCCXLII) " bene „ non " breve „ scripserunt.

se intellexerunt Scaliger Doeringius Heysius Pleitnerus Muellerus Ellisius Riesius Schvabius Schmidtius Benoistius Postgatius. Ut perfacile « viris » ex « unis » depromitur, sic aptior notio ad hunc locum, ubi sermo est de coniugibus, nulla videri potest, quam virorum. Egregie autem « viris » et « feminae » inter se congruunt; quae congruentia praeterea apparet atque exstat ideo quod alterum nomen in versiculi 186, alterum in versiculi 187 exitu est collocatum. Itaque probandus non videtur Avantius (cui adsensi sunt Muretus Turnebus Rossbachius alii) qui, ut metro consuleret, verborum ordine immutato « unis senibus bonae » scripsit, nec Passeratius, qui « bonis » coniecit, quem verum invenisse existimarunt Vossius Vulpius Hauptius Froelichius Vahlenus Baehrensius. Et quoniam Vulpius attulit illud Augustini (d. nupt. et conc. I 9) *progrediente autem genere humano iunctae sunt quibusdam bonis viris bonae feminae*, quibus verbis plurimum tribuit Baehrensius, hoc quaero, liceatne, ut « bonae » et « bonis » inter se concinant, reicere « viris », cum iam ipsum « viris » et « feminae » inter se concinere videamus. Accedit quod Augustini locus, si et rem ipsam et scriptoris animum intuemur, Catullianae sententiae est dissimillimus. Postremo, quoniam eae feminae ut pronubae genialem lectum sternebant in eoque puellas collocabant, quae quibus viris tum senibus uterentur, iis iam pridem, nemini antea nuptae, nupsissent (v.s.p.234), bonitas quidem senum nihil ad rem. An pronubae non erant feminae, quarum viri, cum ipsae bonae essent, non essent boni ? Qua in re praeterea bonitas consistebat virorum ? In bonarum feminarum numero ea habebatur, quamcumque unus vir duxerat uxorem (hanc enim potissimum bonitatem, cum sermo de pronubis sit, interpretari debemus) : qui vir, si mortua esset uxor aut ipse cum ea divortium fecisset, al-

teram duxisset uxorem, num is non erat bonus senex? Quid autem addendum sit in versiculo 196, cuius prima syllaba periit, non tanti est disputare. Nec enim perspicio, quamobrem improbari oporteat aut « vos », quod plurimi addunt, aut « iam », quod coniecit Pleitnerus, (cf. v. 183 et 191), aut « o », quod protulit Baehrensius; nam Kortenius, Progr. 1824 p. 13, qui « unis » et traicit et mutat (unicis senibus bonae), atque Heysius, qui non « bonae », sed « pronubae » scribit, apertissime errant. Si tamen, ubi nulla sunt argumenta quibus, quid sit verum, possit demonstrari, illud eligere licet, quod placeat magis, « o » equidem eligo.

196 **At marite, ita me iuvent**
Caelites, nihilo minus
Pulcher es.

Sic est scribendum, parenthesis signis detractis.

202 **Bona te Venus**
Iuverit, quoniam palam
Quod cupis cupis, et bonum
Non abscondis amorem.

N. Heinsio « Quod cupis cupis » legi oportere adfirmanti (Adv. 644) ne tum quidem adsensi sunt omnes, cum apertum fuit id ipsum et O habere et G. habuisse. Nam « cupis capis », quod est in multis codicibus, apud Palladium Guarinum Muretum Statium Robortellum Landum Passeratium Scaligerum, non modo scribunt Vossius Vulpius Doeringius Lachmannus Hauptius Muellerus, sed etiam tuetur Ellisius. Qui omnes in errore versantur. Profecto multum clarorum scriptorum valere debent exempla (*Mars videt hanc, visamque capit, potiturque cupita* Ov. Fast. III 21), plurimum

intellegens iudicium (1), nisi tamen aliud res ipsa postulat. Venus quidem favet viro non quod is eam ducat uxorem, quam amet (si hoc dicere Catullus voluisset, «quam» fortasse, non «quod» dixisset), sed quia «bonum non abscondit amorem», ob eamque rem, quemadmodum paulo ante, cum advenienti puellae totus imminet, incredibili se inflammatum esse cupiditate aperte ostendit, sic liberioribus amicorum facetiis, quae in nuptiis non deerant, minime deterritus, nunc ad eandem iam in lectulo collocatam accedit (cf. v. 202 «Iam venis»). Quod si «capis» scribimus, versiculorum 204 et 205 verba non sunt collocata suo loco. Nam cum iam dictum sit «quod cupis capis», quid attinet addere «non abscondis amorem»? Catullus igitur «quod cupis cupis» (illud Ennii, Phoenix I. Vahl. *Stultust qui cupita cupienter cupit* intempestive adfertur) ex domestici et cotidiani sermonis, a quo hac in re non differt sermo nóster (cf. *quel che è stato è stato, quel che ho detto ho detto, ciò che penso penso* ett.), fonte hausit.

221 Sit suo similis patri
Manlio et facile insciens
Noscitetur ab omnibus
Et pudicitiam suae
Matris indicet ore.

Cum «omnibus» dicamus postrema syllaba brevi, quae, propterea quod «et» sequitur, minime producitur, ut vitium removerent summa ope enisi sunt viri docti. Nam alii «obvieis» (Pleitn.) aut «obviis» (Bergk. Philol. XVI) scribunt, alii verborum ordinem immutant («omnibus Noscitetur ab insciis» Dawes. Haupt.

(1) " But poetically, the reading of all other MSS *Quae cupis capis* is in every way superior „ Ellisius.

I, p. 20, Ries.), sunt autem qui in v. 224 pro « et » aut « sic » (Hermann. Jahrbb. 1838, Klussmann. Philol. XI) aut « sed » (Hand. Qu. C. p. 12) substituant. Hic solutum et liberum Catullum fuisse facile credo, si quod contra ultimam versiculi 223 syllabam disputatur, nulla alia ratione infirmari ac dilui potest. In hoc ipso carmine (v. 25) — etsi, fateor, inter hanc et illam libertatem aliquid differt — videmusne ut semel pro dactylo positus sit spondeus? Etenim ut a ceteris (Ald. I. « nutriunt in honore », A. Guar. « n. in odore », — nam « nutriunt in humore », quod scripserant antiquissimi editores, erat contra metrum—Maehlius « nutriuntur odore », Pleitn. « nutriunt in agello »), ita ab Ungero (Philol. XLIX) dissentio, non « nutriunt humore », ut fuit in V, sed « n. in amoeno » reponendum censente. Omitto igitur « sic » et « sed », « et » enim, quae particula maxime decet, depelli non debet; sed « obviis » (quamquam in v. 109 carminis LXIV O habet « obvia », cum reliqui codices « omnia » habeant [v. ad h. l.], nescio an non tam facile « obviis » et « omnibus », quam « omnia » et « obvia » inter se mutentur) pro illo verbo substituitur, in quo magna inest vis. Ordinem autem verborum non modo immutandum non esse ipse Hauptius sensit (1), sed ne immutare quidem possumus, nisi « insciis » legimus. Quod etsi et invenimus in aliquot codicibus et receperunt cum Palladius Avantius Guarinus Landus Passeratius Scaliger Vossius Vulpius Doeringius, tum Lachmannus, qui « inscieis », scribit, Hauptius Handius Rossbachius Heysius Riesius Vhalenus Schwabius Schmidtius Postgatius (de illo « avonculeis » quod excogitavit Baehr., quid dicam?), ego tamen repudiari

(1) « Satis tamen intellego eum ordinem, quo in libris verba collocata sunt, ut usitatus magis est, ita etiam concinna orationis venustate longe multumque praestare „ I. p. 20.

oportere iudico, non quod in codicibus omnium optimis « insciens » sit — nam fieri sane potest ut pro « insciis » et legatur et scribatur « insciens »; quamquam apertum est pro « insciens » nonnullis in libris scriptum esse « insciis » —, sed re tota diligenter investigata. Nam si « omnibus ab insciis » legimus, aliquid sine controversia redundat. Aut « ab insciis » satis est, aut « ab omnibus »; praesertim « facile » cum illo « noscitetur » coniuncto. Sed « omnibus ab insciis » ne redundet. Quae est haec ratio collocandorum verborum? In altero versiculo « insciis » est sine praepositione, in altero « omnibus » cum praepositione: Catullus autem si in altero versiculo substantivum collocat, in altero adiectivum aut pronomen, non in posteriore praepositionem ponit, sed in priore (cf. A IV 23 *a mari Novissimo*, LXI 104 *A tuis teneris volet Secubare papillis* 141 *a tuis Unguentate glabris*, *226 a bona Matre 228 ab optima Matre*, AD LXI 19 *ad Phrygium Venus Iudicem*, *42 ad suum Munus*, CUM XVIII 4, *cum isto Vappa*, LXI 19 *cum bona Nubet alite*, IN XLIV 6 *in tua suburbana Villa*, LXI 91 *in vario solet Divitis domini hortulo*, 101 *in mala Deditus vir adultera*, 108 *in tuum Complexum*, XCI 9 *in omni Culpa est*, PROPE XXXIV 7 *prope Deliam Deposivit olivam*). Semel tantum praepositio est in posteriore versiculo (LXXX 3 *Quiete E molli*); verum tamen inter adiectivum et substantivum interposita, et sic interposita, ut illud sit extremum verbum prioris versiculi, hoc secundum posterioris. Quod si quis forte dicat « insciis » non idem esse atque « iis qui sint nesci », sed « cum nescii sint », non idcirco verborum collocationem probabo. Nam, ut clara et perspicua sit oratio, « ab omnibus noscitetur insciis », id quod per metrum non licet, iungam, non « i. n. ab o. ». Itaque « insciens », ut ego arbitror (quod idem arbitratus est Pleitnerus, nisi quod « omnibus » improbavit et reiecit),

oportet retinere. Perspicuum est Catullum comparare contraria: fingit enim fore ut qui puer noverit neminem, is ab omnibus agnoscatur. Erunt profecto qui « insciens », ut id intellegatur, quod intellegi debet, supervacaneum esse reperiant: quis tamen tam levi ornamento offendetur? praesertim cum libenter efficiant Latini, nullaque interdum vel rei vel sententiae necessitate coacti, ut contrariis contraria respondeant.

Nunc videamus quae sit conformatio stropharum. Aut putamus in versiculorum initiis « io » esse unius syllabae interiectionem, et, cum ob eam rem « i » littera non sit vocalis, negamus ut extremam versiculorum 153, 163, 178 syllabam esse ancipitem, ita possit versiculos 123, 143, 168, 173, 188 ullo hiatu aures offendi, aut pro « io » (Catullus enim numquam cum in hendecasyllabis tum in hoc et in carminibus XVII et XXXIV utitur pyrrhichio) « o » scribimus. Si hanc sequimur opinionem, singulae strophae habent, ut docuit Lachmannus (Zeitschr. f. Alt. W. 1845), postquam iam Hauptius aliquid simile suspicatus erat (Op. I p. 1[illegible]), inter tertium et quartum versiculum quoddam quasi intervallum, atque ob hanc ipsam causam binis e partibus constant; si sequimur illam, in nullas quidem partes debent distribui. Quid erit igitur existimandum? Quoniam versiculi, de quibus mentionem feci, tertium in strophis habent locum, viri docti fere omnes nihil Lachmanniana distributione verius esse arbitrati sunt. Neque id est mirum; nam si coniunctionis vel, ut aiunt, synaphiae lex saepe post tertium versiculum, numquam aliis locis violatur, consentaneum videtur concludere inter tertium et quartum versiculum nullam esse coniunctionem. Accedit quod si eam stropharum conformationem probamus, quam defendit Lachmannus, nulla omnino licentia Catullus usus est in versiculis coniungendis, quandoquidem

optimo iure « omnibus », quod verbum cadit in syllabam ancipitem, in extremo versiculo posuit: ex coniunctionis lege aliquid derogavit, si illam conformationem reprehendimus. Verum tamen Lachmannianae distributionis totum disperire fundamentum intellegimus, cum si sententias tum si metrum spectamus. Sententiae enim ut saepe tertio versiculo, sic etiam saepe secundo et frequenter nec secundo nec tertio concluduntur. Quartus autem stropharum versus est, ut primus ut secundus ut tertius, glyconius. Quae nova strophae pars metro indicari potest, ubi nulla reperitur mutatio metri? Nec, dum liceat existimare « io » esse modo unam syllabam modo trochaeum, illud reprehendendum est quod statuitur, idem verbum trochaeum esse et unam syllabam in eodem versiculo. Nam nihil obstat quominus ponamus citam fuisse canentium puerorum vocem in versiculi initio, tardam in exitu. Quod si cui displicet huiusmodi varietas, eidem displicere debet in eodem versu et « o » et « io » reperiri. Iam supra vidimus in v. 16 carminis III « o » tantummodo esse, non utramque interiectionem: hic addo, quoniam Muellerus praeter hoc carmen adfert Statium (Theb. XI 391), male huius auctoritatem adferri. Apud quem si Eteocles sic inducitur « conclamans »: *io patria, o regum incertissima tellus, Nunc certe victoris eris!*, « io » ad patriae nomen pertinet, quocum nullum est aliud verbum conexum: « o » autem positum est ante vocativum; quem, ut ita dicam, sua quaedam sententia sequitur. Quamobrem nota, qua admirationem indicamus, potius post vocativum quam post verbum substantivum, collocanda est.

Versiculum 223 praeter totius carminis consuetudinem a coniunctionis lege recedere incredibile mihi non videri, suo loco dixi (p. 238). Sed hac difficultate sublata, existimare tamen licet in versiculorum initiis « io » esse unius syllabae interiectionem? Licere

Munro in primis, ut puto, satis demonstravit (v. s. p. 229). Qui praeter alia et ostendit (Crit. p. 138) Horatium « Īule » (cf. c. IV 2, 1) dixisse, cum Graece esset « Ĭūle » (cf. Verg. Ae. I. 267, 288), et animadvertit veri simile esse, quae interiectio diu in populi ore fuisset, eam pro Latina esse habitam. In quo non est praetereundum, quod omnibus locis et syllaba anceps et hiatus ad tertium versiculum pertinent, id ad nihilum recidere. Is enim est sententiarum ambitus, ea stropharum conformatio, ut intercalaribus versiculis non possit nisi post tertium versiculum esse locus.

Cum igitur alterius stropharum rationis nullum esse reperiamus fundamentum, alterius tale, quod in eo positum sit, quod videatur veri simillimum; quamquam si illam probamus, omnes tolluntur difficultates, si hanc, sane cogimur concedere, Catullum, quam viam sequi statuisset, de ea semel aliquantulum declinasse (a codicibus, qui « io » non « o » habent, illa discrepat, haec non discrepat), utram probari oportere censeamus, dubitari mea quidem sententia non debet.

LXII 6 Cernitis, innuptae, iuvenes? consurgite contra.

Etsi ex T, quod habet « consurgi eretera », sin[illegible]ie labore « consurgere contra », quod iam nostri coniece[illegible]runt, elicitur, tamen audiendi non sunt Mowatius, quem[illegible]m laudat Ellisius (cf. Comm.), et Meyerus (Sitz. d. philos [illegible]s. philolog. cl. d. Ac. d. Wiss. zu München 1889), qui i[illegible]id ipsum, auctoritatem codicum nihili facientes, defendun[illegible]nt. Est « consurgite contra » retinendum non quod maior sit[illegible]it, ut est, in imperativo vis, sed quia (quo etiam refellitu[illegible]ur « consurgere terra » a Baehrensio allatum), si Catullu[illegible]m infinito usum esse ponimus, puellae consurgunt et cu[illegible]m iuvenibus certare parant, hi autem illas vident ea qu[illegible]ae

antea meditatae sint secum ipsas recolentes, cum nullo modo accipiamus easdem consurrexisse. Quod eo magis animadvertendum est, quia iuvenes non prius consurgunt, quam invitati sunt ad consurgendum. Nam, ut facile intellegitur, non aliter se res habet in iuvenibus atque in puellis. Si Weberum tamen sequimur, versus 1-2 a iuvenibus, 3-4 a puellis, et rursus 6-7 a puellis, 8-9 a iuvenibus dici existimantem (1), illud iam non est obiciendum, siquidem ut unus ex iuvenibus iuvenes, sic una ex puellis puellas hortatur ut consurgant (cf. v. 3 « surgere iam tempus »); verum in aliam delabimur difficultatem, quod una quidem ex puellis adfirmat surgere oportere, sed non appellat, ut iuvenes faciunt, aequales, cum, id quod maximum est, paulo post (v. 6) appellet. Quod autem ad suam sententiam comprobandam adfert Meyerus, id nullius esse opinor momenti. Sine dubio « Sic certest » non ad versiculum 7 (Nimirum oetaeos ostendit noctifer ignes) pertinet: ad quem si pertineret nulla inesset in sententia vis: sed quominus ea verba spectare possint ad id quod cernere debent puellae (cf. v. 6 « Cernitis, innuptae, iuvenes ? »), illud « consurgite », etsi interiectum est, meo iudicio non impedit. Puella, quae hic loquitur, ut primum sentit iuvenes consurgere, nulla interposita mora, aequales cohortatur, ut ipsae item consurgant: ut videt se non falli, quin etiam comperit iuvenes iam omnes consurrexisse, ut rem quodammodo confirmet, « Sic certest » inquit. Quid puella cogitaverit cum « Sic certest » dixit, ex iis perspicitur, quae sequuntur: « Viden ut perniciter exiluere ? ». Quae ideo

(1) **Huius versuum distributionis nullum est fundamentum, nam, cum versiculi 11-14 non pertineant ad puellas (v. i p. 264), non fit, id quod censet Weberus, p. 28, ut " duae strophae continuo inter se excipientes, puellis tribuantur ".**

potissimum addita esse puto, ut quod verbis expressum non esset, plane intellegeretur.

9 **Non temere exiluere: canent, quod visere par est.**

Sic T, nam in V fuit « quo visere parent » (parēt). Atque etsi ad « visere » immutandum multae quidem factae sunt coniecturae (« quod vespere » Meleag., « quo sidere » Lachm., « quoi fidere » Leutsch., « quod vivere » Baehr.), nullum sane verbum tam est viris doctis probatum quam « vincere », quod Avantius aut B. Guarinus excogitavit. Id enim praeter Muretum Statium Passeratium Marcilium receperunt, memoria nostra, Hauptius Heysius Rossbachius Pleitnerus (hic totum locum sic mutavit: « quo vincere sperant ») Vahlenus Riesius Schwabius Schmidtius Fuerstius (de Carmine Cat. LXII Pr. 1887) alii: nisi quod ante Passeratium et Marcilium « quos » (Guar. Mur. Stat.) aut « quo » (Avant.) non « quod » editores scribebant. Sed quemadmodum Hauptius putavit (O. I p. 22) Marcilium, qui « carmen dignum victoria » interpretatus esset, « suo ipso invento recte uti » nescisse, sic ego adfirmo Hauptium ita explanantem: « canent aliquod carmen, quod ut vincamus annitendum nobis est », verum non dispexisse. Vossius Vulpius Doeringius Silligius Ellisius Weberus Postgatius, quod T habet, retinent. Et recte quidem, ut iudico; sed quae sit huius versiculi sententia magno opere laboro. Quis concedere poterit probe Weberum intellegere « coniugum par novum sive maritum cum nova nupta », quandoquidem ex locis, quos ipse attulit (Cic. opt. gen. or. V 17 *gladiatorum par nobilissimum*, Phil. XI 1, 2 *geminum in scelere par*, Laelius IV 15 *tria aut quattuor paria amicorum*, Ov. Met. XIII 833 *par columbarum*, Horat. Sat. II 3, 243 *par nobile fratrum*), elucet illud desse, quo dis[illegible]*i*-

ciamus, cuius rei par designetur? Nec antequam hymenaeo, qui hic « dicitur per certamen », initium puellae faciant, nuntiandum est, ut non modo Weberus (p. 33), sed etiam Pleitnerus (p. 63) et Muellerus (praf. p. XXIII) arbitrantur, maritum et novam nuptam adesse. Quoniam ex versiculo 4 (Iam veniet virgo, iam dicetur hymenaeus) apparet tum iuvenes et puellas dicturos esse hymenaeum, cum virgo veniat, apertum est, cum hymenaeus dicatur, virginem venire. De industria autem venire scripsi, non venisse, propterea quod existimare licet puellas et iuvenes, cum novam nuptam advenientem vidissent (qua quidem re aliqua ex parte confirmatur id quod de visendi verbo paulo post dicam), non cum haec ante coniugis domum iam esset, canere coepisse. Quod vero interpretati sunt post Vossium multi, « visu et spectatu dignum », falsum est. Indicativus enim, si id ipsum intellegi debet, ferri non potest; ut etiam illud « habent memorabile quod sit » (v. 13) declarat, opus est coniunctivo. Num si « memorabile quod sit » reperitur in versiculo 13, idcirco in versiculo 9 debet esse aliquid simile?

« Quod » paulisper, si placet, relinquamus. Cum « visere » apud ipsum Catullum idem sit atque « etiam atque etiam videre », siquidem et Attis (LXIII 48) *maria vasta visit lacrimantibus oculis* et Ariadna (LXIV 55) *quae visit visere non credit*, hanc fere esse arbitror huius loci sententiam: iuvenes canent, oportet diligenter attendere. Nihil, ut opinio mea fert, est hic improbandum. Puellae cantu cum iuvenibus certaturae sunt: itaque de illis oculos deicere non debent. Etiam iuvenes, quia et puellae « dicere iam incipient » et ipsos « respondere decebit », cum antea « alio mentes alio aures diviserint », « suos animos committunt ». Nec opponendum est et carmini amoebaeo puellas initium facturas et iuvenes ad respondendum tantummodo esse

paratos. Nam fieri potest ut id timeant puellae, quod non sit timendum. Iuvenes, qui vincent, verentur ne vincantur (v. 16). Quid si puellae visere debent non iuvenes, sed eam viae partem ex qua ventura sit nova nupta? Etenim nisi volumus statuere antea puellas ignorasse fore ut iuvenes canerent (cf. « Non temere exiluere, canent »), tum « canent » erit ferendum, si intellegemus puellas non modo quod Hesperus splendeat, sed etiam quia iuvenes consurgant, percipere iam esse novam nuptam adventuram. In hoc quidem carmine non res narratur, sed agitur: itaque si quid desideramus in oratione, id est ex actione petendum. Atque hoc etiam mihi placet animadvertere, « visere » ab omni nomine seiunctum, ut ex eo nihil pendeat et a poetis et a solutae orationis scriptoribus crebro usurpari.

Sed illud « quod » restat ut consideremus. Hoc verbum etiam Terentii (Hec. 337 *Male métuo ne Philúmenae magis mórbus adgravéscat: Quod te, Aésculapi, et té, Salus, nequíd sit huius óro*) et Ciceronis (Caec. XXV 70 *leges ac iura labefactat; quod vobis venire in mentem profecto necesse est, nihil esse in civitate tam diligenter quam ius civile retinendum*) auctoritate defenditur. Si vero non Thuanei, sed Veronensis lectionem probamus, non minus in promptu est sententiae interpretatio. Nam pro « quamobrem » non raro « quo » dixerunt Latini (cf. Ter. Andr. 428 ss. *vírginem formá bona Meminí videre: quo aéquior sum Pámphilo*, Cic. Verr. act. pr. XIV 42 *Quo maiore etiam, si fieri potest, apud vos odio esse debet, quam est apud populum R. cum in avaritia... vos sui similes esse arbitretur*, Varr. R. Rust. III 10,5 *Voraces enim sunt [anseres] natura: quo temperandum iis, qui propter cupiditatem saepe in pascendo... abrumpunt collum*).

14 Nec mirum, penitus quae tota mente laborant.

Hic versus, quem unus habet T et princeps recepit Muretus, tamquam adulterinus repudiatus est a Scaligero Naekio (op. I p. 102) Lachmanno (Ed. I) Froelichio, Frankio (de art. carm. Cat. comp. p. 44). Sed nec eius sententia improbari debet (1), nec necesse est aut ipsum depellere aut pro certo habere aliquem epilogi versiculum, id quod multi suspicati sunt, excidisse. Versibus enim 11-19 versus 59-66 respondere nonnulli quidem credunt, sed nemo probabiliter demonstravit (v. i. p. 265 ss). Ad eos igitur veniamus, qui hunc eundem versum corruptum esse contendunt. Pro « nec mirum » « neimirum » (n. quae = quippe q.) scribit Baehrensius, « nimirum », quod idem est Riesius, pro « laborant » « laborent » Vossius Vulpius Doeringius Silligius Rossbachius Muellerus Postgatius alii. Weberus autem « quom » reponi oportere censet, et ob eam sane rem quod, versibus 11-14 iniuria ad puellas translatis, « quae » (quod est aliud argumentum hos versus a iuvenibus dici) nullo pacto retinere potest. Catullus quidem « nec mirum » cum iis quae sequuntur bis « nam » particula adhibita iunxit (XXIII 7, LXIX 7), semel sine ulla particula (LXII 3): sed non ob hanc causam veri simile non est ut semel iunxerit pronomine relativo. Quam iungendi rationem nihil reprehensionis habere etiam ex quibusdam Ciceronis exemplis apparet. Ad id quod attulit Weberus (Sext. Rosc. XVIII 52 *domum*

(1) " Abest hic versiculus a nostro libro. Et profecto nullam bonam sententiam concipit „ Scal. " Non solum otiosus est, sed etiam abundat; non solum abundat, sed prorsus languidam sententiae satis clarae amplificationem continet, factam puerili diligentia ab eo qui proximorum versuum sensum et nexum declarare vellet „ Naekius.

suam istum fere non quisquam vocabat. Nec mirum, qui neque in urbe viveret neque revocaturus esset) haec addo : Clu. IX 28 *nubit Oppianico continuo Sassia laetanti iam animo et spe optima confirmato, nec mirum, quae se non nuptialibus donis, sed filiorum funeribus esse delinitas videret*, Quinct. IX 32 *conturbatus sane discedit Quinctius: neque mirum, cui haec optio tam misera tamque iniqua daretur*. Quod si in his exemplis verbum est modi coniunctivi, non sequitur ut damnandus sit indicativus. Quo ita Catullus usus est hic post « quae » pronomen, ut in carmine LXVIII (v. 32) post « cum » particulam: *Haec tibi non tribuo munera, cum nequeo*. Non tamen adfirmare audeo eum alio loco ad causam designandam pronomen relativum et quidem cum verbo modi indicativi conexum adhibuisse. Etenim in versiculis illis carminis XXXXIV, qui allati sunt ab Ellisio, *Nec deprecor... quin tussim Sestio... ferat frigus, Qui tunc vocat me, cum malum librum legi* (nescio an melius adferantur versus 7 et 8 carminis XIV *Isti di mala multa dent clienti Qui tantum tibi misit impiorum*), causae notionem aeque inesse atque abesse credere possumus. Verum ut indicativum defendamus, opus non est ad antiquissimorum scriptorum auctoritatem nos conferre: apud ipsum Ciceronem aliquando post pronomen relativum, cum fere existimemus inventuros nos esse coniunctivum, in modum indicativum incidimus (cf. Ca. Ma. XIV 46 *Habeo senectuti magnam gratiam, quae mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit*).

21 Qui natam possis complexu avellere matris,
Complexu matris retinentem avellere natam.

Froelichius, qui Gronovium (Diatr. in Stat. Silv. I p. 585) secutus, ut contrarium contrario opponatur, « Complexu natae retinentem avellere matrem » scribit,

hoc adsequitur ut mater etiam avellatur a filia, cum hanc unam Hesperus, quam ardenti iuveni tradat (v. 23), avellere cupiat. Baehrensium si audimus, « retinente » legi oportere docentem, mater retinet filiam et tamen in superiore versiculo item filiam retinet mater. Weberus (p. 47) autem et Postgatius, qui in v. 22 Catullum non « complexu », sed « complexum » dixisse iudicant, sine causa a codicibus recedunt. Nam si illud « retinentem » interpretamur, ut interpretari debemus, « retinentem complexum », perinde res se habet, ac si « complexum » legamus. Hesperus videlicet a matre filiam avellit, cum haec illam, illa hanc teneat complexa. Durissimumne sit, ut Baehrensius opinatur, « complexum », quod Catullus non scripsit, intellegere, quaerere neglego: dubium tamen non est quin in versiculo 244 carminis LXIV (Talia complexum iuveni mandata dedisse) « complexum » quid sibi velit, non satis appareat, nisi « iuvenem » ex insequente « iuveni » intellegamus. Atque ego puto eos « complexu » mutandum arbitrari, qui Catulli mentem non penitus introspexerint. Is ante dicit Hesperum de matris complexu avellere atque abstrahere filiam: post addit ab eo avelli filiam non discedere quidem optantem, sed retinentem complexu suo matrem. Itaque consulto totum fere iteravit versiculum 21, et sic iteravit, ut matris ac natae nomina, quo magis eminerent, collocaret inverso ordine.

32 **Hesperus e nobis aequales abstulit unam**
Namque tuo adventu vigilat custodia semper.
Nocte latent fures, quos idem saepe revertens,
Hespere, mutato comprendis nomine eosdem.

Webero (p. 55) adsentior post Pleitnerum « aequales » ut corruptum improbanti. Non modo « per

omnes has strophas et antistrophas, quibus puellarum et iuvenum greges inter se utrimque certant, nusquam talis allocutio alterius utrius chori ad totam suam turbam facta exstat », sed quomodo talis allocutio fieri possit, non perspicio. Est Hespero crimen inferendum, non sunt puellae de eo quod ignorent, quae nihil ignorant, certiores faciendae. Accedit quod Catullus ad verbum auferendi alium casum praeter accusativum addere solet (cf. III 15 *Tam bellum mihi passerem abstulistis*, *LXVIII 19 Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors Abstulit*, *CI 5 Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum*, nam in c. LXVIII, v. 157, ubi tamen una cum accusativo est dativus, « aufert » multi iure putant corruptum). Quod si praepositio « e » est, non « a », perspicue intellegitur « e nobis » idem esse atque « e nostro grege ». Quamobrem accusatur Hesperus, quemadmodum in prima stropha, quod ex sinu complexuque matris evellat filiam, sic in secunda, quod aequalem abstulerit ex multitudine aequalium. Atque ita mihi persuasum est « e nobis » ad verbum, non ad adiectivum pertinere, ut si « abstulit e nobis » nullo modo ferri posset, « a » potius scribendum, quam « unam » et « e nobis » inter se iungenda arbitrarer (1). Sequitur ut « unam » ad aliquod nomen debeat referri; quod non potest esse nisi « aequalem ». Non solum Plautus et Te-

(1) Veteres editores, in his Muretus, " a nobis „ scripserunt. B. Guarinus cum sic iunxit: " nobis abstulit „, tum " aequalem „ legit, sed ad suum arbitrium versiculum mutavit hoc modo: " Hespere, qui nobis aequalem hanc abstulit unam? „. Statius ut " e „ et " aequales „ probavit, sic, si per libros licuisset, vel " Hesperus e nostris aequalibus a. u. „ — quem versum recepit Passeratius -, vel " H. e. n. aequalem hinc a. u. „ legere voluisset. Quae quidem aliqua ex parte declarant iam pridem intellectum esse quaenam esset huius loci sententia.

rentius, sed etiam Cicero (de Or. I 29, 132 *sicut unus paterfamilias his de rebus loquor*) atque Catullus ipse (XXII 10 *Suffenus unus caprimulgus aut fossor Rursus videtur*) hoc adiectivum una cum substantivis iunxit. Itaque suspicari licet « equales » (V) et « aequalis » (T) scriptum esse vel propter verba, quae proxima sunt (Hesperus, nobis), vel ob eam causam, quod iam antea (v. 11) esset hoc ipsum « aequales ». In quo illud est vel maximum, quod V non « equales » modo, sed « equalem » etiam habuit, ut conicere possumus et ex compluribus libris, ubi « equalem » reperitur, et ex G, quo in codice « m *littera superscripta et* s *expuncta*, ut Schwabii verbis utar, *fecit* equalem g ».

Sed ut adsentior Webero falsum esse « aequales », sic ab eo « si » particulam interisse statuente longe dissentio. Nihil enim est causae quamobrem putemus versiculo 32 oppositum esse versiculum 35, ob eamque rem, cum hic sit quartus antistrophae, quartum strophae illum esse. Cur non sit existimandum versiculum 32 primum strophae locum habere, alterum autem, versiculo 35 maxime respondentem, habuisse quartum, equidem non reperio. Ac veri quidem simile est puellas, cum questae essent quod Hesperus puellam quandam abstulisset, ut rem melius explanarent, addidisse (quae sententia esset versiculi 32 sententiae contraria) Hesperum et ipsum furta facere solere et magno esse furibus praesidio. Quod si negamus versiculum 32 esse primum strophae, ut intellegatur quomodo factum sit ut perirent strophae versiculi omnes praeter quartum, antistrophae primus, id ponere debemus, quod vereor ut possit poni. Nam opus est statuere, cum nomen Hesperi esset ut in primo et in quarto strophae versiculo, sic in primo et in quarto antistrophae, librarium a primo ad quartum versum strophae aberrasse, atque ab hoc rursus ad primum

antistrophae, quem, cum iam descriptum arbitraretur, non descripsisse (cf. Fuerst. p. 20). Sin putamus in stropha ante versum 32 aliud nihil fuisse, facile est intellectu quemadmodum facta sit versiculorum iactura. Credibile est, id quod multi credunt, librarium, cum Hesperi nomen esset in primi tam strophae quam antistrophae versiculi initio (antistropharum verba verbis stropharum hoc in carmine saepe respondere res est notissima), a stropha ad antistropham per neglegentiam esse transgressum. Particulam igitur, quam attulit Weberus, reiciamus. Ad hiatum removendum, qui, si « aequalem » scribimus, est in versiculo 32, pro « abstulit » « sustulit » Pleitnerus posuit. Prorsus non recte. Hic tamen hiatum ego etiam improbo. Catullus quidem, quae verba in « m » litteram caderent, ea insequente vocali aliquando non elisit (cf. LXVI 48, XCVII 2, nam in LXVII 44 « speraret » non « speret » scribendum duco), sicut et ante eum fecerat Ennius 275, et post fecerunt Tibullus I 5,33, Propertius III 15,1 ; 32, 45, Manilius I 795 (cf. Muell. d. r. m. p. 310); sed non elisa est interdum ab illo postrema syllaba prioris membri pentametri, ab his in versu hexametro ea in qua fieret sublatio vocis. Quod si ne positio quidem Catullum a hiatu deterruit, huius rei causa quaedam adferri potest, quae hoc loco non potest (v. ad III 6, XI 11, XXXVIII 2). Suspicor igitur (quid autem aliud licet nisi suspicari?) « en » particulam, quae etiam aliis locis (LV 17, LXI 151) apud Catullum reperitur, deesse. Quam veri simile est perisse propter postremam illius « aequalem » syllabam. Sententiae huius versiculi aptam consentaneamque esse hanc particulam omnes facile concedent, quandoquidem non raro is ea utitur in dicendo, cuius animus sit quodammodo commotus (cf. Tib. I 2,25 *En ego cum tenebris tota vagor anxius urbe)*. Quae ne cui idcirco respuenda videatur, quod non sit in ipso

orationis initio, satis erit hos Martialis locos adferre: I 82, 1 *Haec quae pulvere dissipata multo Longas porticus explicat ruinas En quanto iacet absoluta casu*, VIII 66, 3 *Bis senos iubet en redire fasces.*

Venio ad versus 35. Ne illa quidem quae disputavit Weberus in eam me opinionem adducunt, ut putem Schraderum, cui adsensi sunt Silligius Pleitnerus Muellerus Schulzius (Zeitsch. f. d. G. W. 1880) Riesius Baehrensius Schmidtius Postgatius Iacobyus alii, recte pro « eosdem » (T « eospem ») « Eous » protulisse. Etenim non quod scriptum est « mutato nomine », debet hoc alterum nomen reperiri. Si « revertens » tantummodo Catullus dixisset, ne quis intellegeret mane Hesperum sine ullo discrimine redire consuesse, Eous quidem nominandus fuisset; sed quoniam redit mutato nomine neminem praeterit eundem, qui iam non sit Hesperus, redire Eoum. In versiculis, qui adferuntur, Cinnae (Serv. ad Georg. I 288 *Te matutinus flentem conspexit Eous Et flentem paulo vidit post Hesperus idem*) — versum qui est in poemate, quod Ciris inscribitur, *Hesperium vitant, optant ardescere Eoum*, pro nihilo habeo — Hesperus sane et Eous nominantur, sed abest « mutato nomine » aut aliud simile. Itaque Catullus cum Eoi nomen tacuit, id tacuit quod omnibus notum esse arbitraretur. « Eosdem » autem, ut puto, eadem ratione, qua « idem », defenditur. Hesperus, ut videtur, fures cohibet *idemque* comprehendit: fures cohibentur ab Hespero *iidemque* comprehenduntur. Nec, si, quod Hesperus fures cohibet idemque comprehendit, iam hoc ipso hi cohibentur iidemque comprehenduntur, quicquam est improbandum. Quasdam iterationes et congruentias verborum a Catulli consuetudine minime abhorrere omnibus compertum est, cf. LXVII 1 *Nec peccatum a me quisquam pote dicere quicquam*, LXVIII 146 *Ipsius ex ipso dempta*

viri gremio. In versiculo 22, si « retinentem » excipimus, iterata sunt omnia verba, ex quibus constat versiculus 21. Hic autem iuvenes « idem » et « eosdem » ob eam causam inter se iungunt, ut exstet atque emineat innocentia Hesperi.

Paulo ante cum defendi ex secunda amoebaei carminis stropha reliquum esse unum versiculum, antistrophae autem, cuius quinque praeter intercalarem supersunt versus, unum perisse; quoniam versiculi quam multi strophae, tam multi fuerunt antistrophae, iam hoc ipso declaravi qui versuum numerus meo iudicio desideraretur. Sed cum hac de re sit inter doctissimos summa dissensio, non alienum puto de eadem hic breviter disputare.

Vix mentio fieri debet Lachmanni (Ed. I), qui sexaginta versus omissos esse arbitratus est, Hauptii, qui triginta (O. I p. 27, 33): etsi Hauptius postea, Hermanno (Jahrbb. 1838) obsecutus, de sua sententia decessit (O. I p. 35). Uterque paginarum et versiculorum numerum spectavit illius antiquissimi codicis quem ipse Lachmannus cogitatione finxisset, non, ut debuit, carminis sententias. Inter versus 31 et 38 unum stropharum par intericiatur: actio atque oratio, quantum satis est, id quod multi senserunt, progredietur. Itaque frustra A. Boninus (Pr. 1885 p. 11 ss.) dedit operam ut ostenderet stropharum habitu et numero versiculorum, qui superessent (1), Lachmanni opinionem maxime confir-

(1) Cum videret Boninus (p. 11) primum stropharum par (vv. 1-10) ex decem versibus constare, secundum (vv. 20-31) ex duodecim, postremum (vv. 39-58^b) ex duobus et viginti, conclusit inter hoc et secundum fuisse tertium par aut quattordecim versus, quartum par aut sedecim versus, quintum par aut octo et decem versus, sextum par aut viginti versus, id est versus octo et sexaginta. Demptis

mari. Nec meliore consilio Hermesius (Pr. 1889 p. 14), qui versus 39-58 in quattuor strophas senum versuum distribuit (39-42 interc.: 49-53 i, 43-47 i: 54-58 i), item quattuor strophas senum versuum (1 [+ 4 i] : [5 i], [5 i]: 5 i) inter versiculos 32 et 38 fuisse iudicat.

Sed quaerendum iam est utrum ad stropham primus tantum ex versiculis 32-38 pertineat, an plures: praetermitto enim cum Vossium, qui nihil hic censet deesse, et versus 32-35 puellis dat, 36-38 iuvenibus, tum Richterum (Rh. Mus. XIX), cuius est iudicium duos versiculos perisse, omnes autem puellis tribui oportere.

Tenent strophae non unum esse versum sed plures, ut alios omittam, Rossbachius (Praef. p. XII) qui, distribuens carmen in strophas quaternum et quinum versuum—intercalares enim, quippe qui « ad eurhytmiam carminis nil conferant », non numerat—, puellas versiculos 32, 33, iuvenes vv. 34-38 canere arbitratur, et Postgatius qui, ut iam Doeringius Silligius Hartungius (Philol. III) Koechlyus (Akad. Vorträg. u. Red. 1859), adscribit puellis praeter v. 32 versus 33 35, versus 36-38 iuvenibus. Sed sive Rossbachium sequimur sive Postgatium, non perspicimur, cur non sit unius loci terminis vitium definiendum. Nam adfirmat Rossbachius lacunam esse post v. 32, lacunam post v. 33; Postgatio autem aliquid perisse videtur inter versus 31 et 32, inter vv. 32 et 33, inter vv. 35 et 36. Accedit quod sine causa, ut mea fert opinio, statuitur (cf. Postgat. Journ. of. Phil. 1888) credibile non esse, cum Hesperus noctem ferat, nocte vero lateant fures, qui deprehendantur nova luce, iuvenes dicere adventu Hesperi custodiam

autem versibus 32-38—hi enim etiam nunc sunt — sexaginta unum perisse. Lachmannus quidem sexaginta versus desiderari statuit, sed Boninus discrimen tollit sine labore. Veri enim simile esse dicit iam in eo antiquissimo codice, quem restituisse sibi visus est Lachmannus, versiculum nescio quem defuisse.

vigilare. « Noctifer » appellatur Hesperus a puellis (v.7), quae vituperant (quamquam nescio an nihil sit ex hoc nomine inferendum), non appellatur a iuvenibus, qui laudant. Illud certe cogitant iuvenes, nocte latere fures, quos ex altera parte furari non posse tum cum adveniat Hesperus, propterea quod vigilet custodia, ex altera comprehendi tum cum idem mutato nomine redierit. Ita hic non tuetur fures, sed nocet furibus. Cui rei non illud adversatur, quod custodia, cum excubet ac vigilet adventu Hesperi, tamen, ut suspicari licet (cf. « Nocte latent fures »), noctes dormit; siquidem Hesperus cum nocte nihil habet rationis.

Ad eos igitur progrediamur qui idem defendunt, quod abhinc annos prope quadringentos putavit Avantius, ad stropham unum pertinere versiculum 32: reliquos (33-38) ad antistropham. Has ex septenis compositas esse versibus, intercalari adnumerato, existimant, ut de his mentionem faciam, Frankius (p. 46) Ziwsa (W. St. IV) Baehrensius Weberus, ex octonis Froelichius Ellisius Fuerstius, ex novenis Pleitnerus et, mutatata sententia, Riesius, qui olim (Jahrbb. 1865) ut in tertio strepharum pari viginti versus, sic in secundo sedecim collacavit, ex denis Leutschius (Gott. gel. Anz. 1855). Itaque sunt qui septem versus, qui novem, qui undecim, qui tredecim in libris deesse censeant. Si septem desunt, quomodo factum sit ut hi exciderent, ut supra vidimus, plane intellegitur; non intellegitur quemadmodum exciderint plures. Nam si a versu 32 iam descripto librarius ad primum antistrophae et illi quidem simillimum per errorem transgressus est, non video quid fuerit causae cur non hic tantum periret, sed ille etiam qui sequeretur. Dicatur sane credibile esse « Hesperus » huius quoque versiculi primum verbum fuisse (cf. Fuerst. p. 20); etiamsi eiusmodi iterationem approbemus nec quicquam contra dispu-

tare velimus, tollitur causa (cf. Ries. Jahrbb. 1865, Fuerst. p. 19) quamobrem putandum sit strophae versus septem, antistrophae duos interisse. Nam si is esse debuit secundus antistrophae, quo iuvenes quandam sibi quasi viam a secunda persona ad tertiam munirent, miror inter eius atque primi versiculi initium discrimen fuisse nullum. Quoniam per illud « Hesperus », ante omnia alia verba collocatum, sane licebat iuvenes a tertia persona ad secundam transire, quid opus est ponere duos versus amissos esse, non unum? Sed, ut possit in v. 33 « tuo adventu » dici, necesse non est illud existimare, inter hunc et primum strophae versum aliquid fuisse interiectum. Non est causa cur non censeamus in primo versu iuvenes et « Hesperus » dixisse et Hesperum esse allocutos. Profecto si ponimus iuvenes ipsas puellarum querellas iterasse, unius versiculi spatium nimis angustum videtur: verum nulla necessitate cogimur talem iterationem statuere. Suspicari licet iuvenes nullas singillatim puellarum querellas iterasse, sed generatim negasse Hesperum iure in crimen vocari. Multum abest ut putem eum versum restitui posse, cuius ne littera quidem exstet: tamen ad id confirmandum quod sentirem, huiusmodi feci versiculum: « Hesperus arguitur falso: accusaris inique ». Hesperus adest fulgetque in caelo: itaque non dedecet iuvenes eum alloqui, nomine non appellatum. Qui si omnino fuit appellandus, nihil est quod credamus Catullum illius nomen in versiculum includere non potuisse. In eo versu, quem ego protuli, satis est « accusaris inique » delere et « male te, Hespere, culpant » ponere. Quod si non duos versus, multo minus plures in antistropha desiderari opus erit constituere.

53 **Hanc nulli agricolae, nulli coluere iuvenci:**
At si forte eadem est ulmo coniuncta marito,
Multi illam agricolae, multi accoluere iuvenci.

Cum hos tum versus 42-44 non recte a Lachmanno, quem secuti sunt multi, parenthesis signis clausos esse complures senserunt. Sed hac de re satis. In versiculo 53, etsi T « acoluere » habet, legendum esse « coluere », adfirmare non dubito. Nam cum T etiam habeat non « nulli », sed « multi », quod una cum illo « acoluere » est in versiculo 55, ex hoc in superiorem versiculum utrumque verbum fluxisse puto. Quamobrem bene, meo quidem iudicio, nostrae aetatis editores, veteres enim in utroque versu « accoluere » scripserunt, tuentur « coluere ». In v. 55 tamen, cum et in V « accoluere fuerit et in T sit « acoluere », non « coluere », quod placuit Hauptio Froelichio Schmidtio Schwabio multis aliis, sed restituendum censeo « accoluere », quod probaverunt Lachmannus (Ed. I) Rossbachius Ellisius. Nec enim mihi idem, quod Hauptio (I, p. 107, 111), videtur, existimanti cum « multei coluere » esset scriptum, primo « multi acoluere », deinde « m. accoluere » factum esse. Saepe scriptores praepositionem « ad » iungunt copulantque cum verbis, ut intellegatur aliquid frequenter aut diligentissime fieri, sicut declarat « adcurare », quod significat « studiose curare » (Plaut. Bacc. 1152 *Meum pénsum ego lepide adcúrabo, quamquámst mortem amplexári*, Trin. 78 *omnis bonos bonásque adcurare áddecet Suspítionem et cúlpam ut ab se ségregent*, Ter. Hec. 738 *Omnis res caútius ne témere faciam adcúro*), « adcrescere », quod idem est aliquando ac « magis magisque crescere » (Ter. Andr. 539 *Quae (amicitia) incépta a parvis*

cum aetate adcrevit simul), « advigilare », cuius vis est « valde » aut « sine ulla intermissione vigilare » (Cic. Leg. II 12, 29 *ut advigiletur facilius ad custodiam ignis*, Tib. II 5, 93 *Nec taedebit avum parvo advigilare nepoti*) ac, ne plura consecter, « adnumerare », quod est « aliud post aliud numerare » (Cic. de opt. gen. or. V 14. *Non enim ea me adnumerare lectori putavi oportere, sed tamquam appendere*). In Catulliano versiculo recte agricolae et iuvenci vitem accoluisse dicuntur, quandoquidem frequentes summaque cum diligentia coluerunt. Cur igitur hic « accoluere », paulo ante « coluere » Catullus scripserit, facile perspicimus. Hoc loco et colendi curam et cultorum multitudinem designavit: antea omne colendi studium, omnem cultorum sollertiam negavit.

Dicendum nunc est de iuvencorum mentione. Quam ideo molestam putant, quod, cum antea nominati sint pueri et puellae (vv. 42, 44), hic mirum videatur una cum agricolis iuvencos nominari. Itaque pro « iuvenci » cum in v. 53 tum in v. 55 scripserunt, inepte quidem, ut iudico, « bubulci » Riesius, qui postea sententiam mutavit, et Muellerus, « coloni » Baehrensius. Weberus autem, qui non negat solum una cum bubus recte nominari homines, sed censet etiam, quod in versiculis 42 et 44 et puerorum et puellarum facta sit mentio, praeter mares designari feminas, illud existimat, quod existimavit Pleitnerus (Hochz. p. 76), « nullae iuvencae » et « multae i. » legi oportere : iuvencarum enim nomine significari adfirmat filias agricolarum et uxores. Quae tamen lectio atque interpretatio nullo modo auctoritate, quae adfertur, confirmatur Horatii (c. II 8, 21 ss.). Qui quidem ad Barinen scribens, quae puella est ut pulcherrima, ita « publica iuvenum cura », *Te suis matres metuunt iuvencis*, ait; sed et ex addito « suis » et ex iis quae dicta sunt cum ante tum post

(Barinen enim metuunt parci senes, metuunt novae nuptae), quid sibi velit « iuvencis » facillime perspicitur. Nihil autem apud Catullum declarat iuvencas, si iuvencae intellegendae sunt, ad hominum non ad beluarum genus pertinere. Deinde falsum est apud Horatium filias hoc nomine appellari; sine dubio appellantur filii. Quod iis maxime cernitur, quae ante postremam carminis stropham, in qua hic reperitur versus, dicta sunt: *Adde quod pubes tibi crescit omnis, Servitus crescit nova.* Itaque statuo et iudico Catullum « iuvenci » scripsisse. Mentio fit antea puerorum et puellarum, ut puto, quod puellae et pueri ut in huiusmodi nuptialibus poematis ita in vita communi una esse solent, hic agricolarum et iuvencorum, quia in agro colendo persaepe suam operam homines cum boum opera, ut ita dicam, consociant (cf. LXIV 38 ss). Nec dubito quin Catullus etiam iuvencos nominet, etsi hi non ipsam vitem colant, sed vineae terram arent, quod, cum antea nominati sint pueri et puellae, si agricolarum tantummodo mentionem fecisset, omnis deesset congruentia partium.

Restat ut versum 54 consideremus. Non « marito », ut fuit in V, sed « marita », ut est in T, scribunt Vossius Riesius Baehrensius, qui a Ramlero « forti » pro « forte » recepit, Postgatius Iacobyus, omnes « ut marita » intellegentes. Weberus autem, Heinsium secutus, « maritae » attulit. Si « maritae » dicimus, hoc ipso quod femininum ulmi genus eminet, non exstat atque eminet notio mariti. Nec res se aliter habet, si et « ulmo » ablativum esse non dativum et « marita » ad hoc nomen tamquam adiectivum pertinere interpretamur, ut interpretari mallet Ellisius, si quid esset quod, ne « marito » scriberemus, impediret. Intellegamus « ut marita » : non erit idem illud animadvertendum; sed, cum « marita » sit fere supervacaneum (nam cum est

ulmo vitis coniuncta, communi poetarum rerumque rusticarum scriptorum consensu, ut marita coniuncta est), hoc verbo usum esse Catullum non adducor ut putem, praesertim perspecta eiusdem collocatione. Itaque illi mihi satis faciunt, qui multi sunt, qui legunt « marito ». Iudico enim in T per errorem librarium « a » pro « o » scripsisse. Et quamquam, si opus esset, non recusarem ne ulmi nomini masculinum genus concederem, quandoquidem huius generis nonnullae sunt arbores apud quosdam scriptores (cf. Ellis.), non credo, quod credibile videtur Ellisio, « marito » esse adiectivum: Quod est substantivum : iuvenes eam vitem designant, quae sit marito coniuncta. Si arbor, ad quam vitis adnectitur, est feminini generis, sed mariti tamen agit partes, cur non appellabitur maritus? Atque hic, ut vidimus, mariti notionem res postulat omnino. Quod autem Quintilianus « maritam ulmum » dixit (VIII 3,8), vix est monendum eum in sententia dissimili dissimilem verborum coniunctionem adhibuisse.

56 Sic virgo, dum intacta manet, dum inculta senescit.

Omitto « senescit », pro quo Pleitnerus et Weberus « suis est » volunt: videamus illud « intacta », quod repudiant Pleitnerus (p. 76) Weberus (p. 73) Lindius (Hermes, 1890), « innupta » acerrime defendentes. Optimum esse « innupta » nemo sane infitiabitur : reici oportere « intacta » mihi suadere non queo. Nam ideo « *intacta* neque cum praecedenti notione *coniuncta maritae,* neque cum insequenti *cum par conubium adepta est* apte conferri potest » (Web. p. 73), quod cum iis minime debet conferri. Comparatio est inter virginem et vitem; sunt igitur comparanda « intacta » et « vidua ». Vidua autem ea est vitis, quae nullo umquam usa sit marito : virgo intacta, ea virgo, quae nemini nupserit.

Quamobrem « virgo, dum intacta manet » non aliud est nisi « virgo, dum manet innupta ». Similitudo vitis et virginis ita est clara ut nihil clarius possit cogitari. At ad « innupta » confirmandum valere putant Quintiliani auctoritatem, qui adferens (Inst. Or. IX 3,16) versiculum 45, ubi omnes ad unum « intacta » approbant, « innupta » scribit (*Catullus in Epithalamio « Dum innupta manet dum cara suis est », cum prius « dum » significet « quoad », sequens « usque eo »*). Ego vero non video quomodo « nisi temporibus Quintiliani alterutro in versu (45, 56) *innupta* lectum esset, vix intellegi posset unde ille sumpserit lectionem » (Lind.). Sumpsit, ut arbitror, cum nimis memoriae confideret, ex sua ipsius mente, et ob eam causam profecto, quod « intacta » idem hic est quod « innupta ». Quamobrem ex allato Institutionum Or. loco non efficitur et in versiculo 56 fuisse « innupta », et Quintilianum prima huius versiculi verba cum versiculi 55 extremis colligasse. Ita non est « intacta » mutandum. Atque etiam, ut suspicor, iuvenes, quod in refellendis puellis, quae vincentur (v. i. ad v. 58ᵇ), consulto eodem verbo uti volunt, quo usae sint illae, idcirco « intacta » non « innupta » dicunt.

58 b **Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.**

Intercalarem hunc versum, quem primus addidit Muretus (deest enim in codicibus), sunt qui repudient (Doer. Sill. Naek. Rossb. Ell.): sed frustra. Nam iuvenes vincunt non quod « antequam novam exordiri stropham puellae possint (utor Naekii verbis) finem impondituri certamini, subita conversione facta, sponsam compellent et morigerendum esse coniugi lepida et quasi iudiciali disputatione demonstrent » : vincunt quod falsa puellarum crimina eademque plena futtilitatis (quomodo fas est dicere, quod est in v. 46, matrimonio pollui vir-

ginis corpus?) refutarunt ac diluerunt. Scilicet hae quid addant, non reperiunt. Sine versu intercalari, qua ex re percipimus puellas, quae si haberent quid dicerent, id dicere profecto vellent, victas obmutuisse? Intercalaris enim versiculus declarat alterum chorum finem imposuisse strophae, alterum facturum initium. Quapropter iuvenes cum ex puellarum silentio vident se esse victoriam consecutos, tum novam nuptam monent ut coniugi cedat et parentibus. Atque haec quidem de re, de opinione autem illorum qui intercalarem reiciendum arbitrantur, miror eos id arbitrari qui teneant versus 11-19 et 59-65 inter se respondere (v. i p. 265 ss.). Si enim post versiculum intercalarem illi dicuntur, item hi post versiculum intercalarem dicendi videntur.

59 **Et tu ne pugna cum tali coniuge, virgo.**

Antequam de hoc versiculo disputo, oportet et illud quaerere, omnesne epilogi versus (59-66) servati sint, et alia quaedam attingere, quae sunt cum hac quaestione coniuncta.

Versus 59-66, si varias doctorum sententias persequimur, aut a iuvenibus et uno eodemque tempore a puellis dicuntur (Muell.), aut ab unis puellis (Lachm. Haupt. Pleitn. Bonin.), aut ab unis iuvenibus (quae est multorum opinio) aut partim a iuvenibus partim a puellis (Web.): veri enim simile esse, quod Riesio veri simile videtur, eosdem ab ipso poeta dici, prorsus nego.

In epilogo puellas pariter cum iuvenibus canere aut solas puellas, ob id in primis omnes fere docti, et iure quidem, non credunt, quod nullo modo, cuius sit novae nuptae virginitas (vv.62-64), puellas dicere deceat. Reliquum est ut aut soli iuvenes canant, aut iuvenes post, ante puellae. Si et puellae canunt et iuvenes, versiculus certe desideratur. Nam cum cantus iuvenum,

dempto intercalari, qui numerandus non est, ex quattuor versibus constet (62-65), item ex quattuor constare debet puellarum. Sed in epilogo etiam puellas canere, non adducor ut credam. Omitto, quod Weberus ad sententiam suam defendendam attulit, id pro nihilo putari oportere. Et vero quomodo versus 59-65 dandi sunt partim puellis partim iuvenibus, quod versus 11-19 partim puellarum sint partim iuvenum, si hos iuvenes canunt soli (1)? Hoc unum quaero, concedine posse

(1) Weberus quod censet versus 11-14 pertinere ad puellas, 15-18 ad iuvenes, non statuit solum puellarum esse versus 59-61, iuvenum vv. 62-65, sed etiam, ut dictum est (v. s. p. 243) dari debere iuvenibus versus 1-2 et 8-9, puellis versus 3-4 et 6-7, non versus 6-9 his, versus 1-4 illis. Praetermitto versuum 1-9 distributionem, etsi quid obicerem haberem: satis erit de distributione versuum 11-19 pauca disserere. In versiculo 11 (Non facile nobis aequales, palma parata est) pro " aequalis „ " e qualis „ (= e vasibus vimineis) Weberus legendum arbitratur. Qui ex hoc concludit non iuvenes, sed puellas loqui, easque dicere " non paratam esse facilem sibi e qualis victoriam, quam quidem sua arte muliebri facile assequantur „. Miror ingenium hominis et doctrinam; doctissime enim disputat Weberus ut inventum suum legentibus probet: verum, quoniam in v. 12 (Aspicite innuptae secum ut meditata requirant) " innuptae „ iam non est nominativus, sed vocativus, etiamsi ea esse videatur sententia, contra quam nihil sit dicendum, quae omnino repudianda mihi videtur, qui *meditata requirant*, plane ignoramus. Quod eo etiam debet animadverti, quia in nullo alio strophae versu, quam finxit W., est nominativus. Nec alios locos licet adferre, in quibus hic item desideretur. In versiculo 18 (Dicere iam incipient iam respondere licebit) nullum videmus esse nominativum : sed quod et puellarum in primo strophae versu (innuptae) facta est mentio, et tota stropha de iis sermo est, statim intellegitur eas ad loquendum esse aggressuras, praesertim illis verbis " iam respondere decebit „ adiectis. Etiam in versibus 8-9 (viden ut perniciter exiluere? Non temere exiluere: canent, quod visere par est) nominativum frustra requirimus: tamen, quoniam paulo ante dictum est : " Cernitis, innuptae, iuvenes? „, quibus verbis, ut illud " consurgite contra „, quod sequitur, maxime declarat, interrogantur puellae viderintne consurrexisse iuvenes, quis non

videatur puellas, quae non modo matrimonium vituperarint, sed etiam adfirmarint Hesperum ex invitae matris manibus complexuque filiam eripere solere, subito non sibi constantes novam nuptam cohortari ut pareat matri, quae nullius crudelitati necessario cedat, sed libenter suam coniugi natam tradiderit.

Proximum est ut existimemus versiculos 59-66 dici a iuvenibus. Eorum qui hanc opinionem sequuntur alii adfirmant perisse versiculum, alii negant; qui hos versus versibus 11-19 respondere non arbitrantur, ii negant (Schoell. [Jahrbb. 1880] Ziwsa [W. St. 1882] Ries.), qui arbitrantur, ii adfirmant (Naek. Haupt. Hermann. [Jahrbb. 1838] Rossb. Frank. Ell. Magnus. [Jahresb. 1889 p. 265] Hermes.). Qui versus epilogi et eos qui sunt post primam antistropham non putant inter se respondere, eo nihil desiderari censent, quod perfectae sint absolutaeque sententiae; qui respondere iudicant, nisi versum 14 repudiant, ob eam causam versiculum deesse credere debent, quia cum in epilogo sint septem versus, octo a v. 11 ad v. 19 numerentur.

Quid sit quamobrem constituant hos versus et illos inter se esse conexos, omnibus compertum est. Cum prima stropha (vv. 1-5) congruat cum prima antistropha (6-10), secunda tertia quarta stropha (vv. 20-25; —32—; 39-48) cum secunda tertia quarta antistropha (vv. 26-31, 33-38, 49-58), ex altera parte versus 11-19, ex

sentit hoc ipsum " iuvenes „ esse sane intellegendum? Deinde si " e qualis „ non " aequales „ legere debemus, in stropha (vv. 11-14) est vocativus (innuptae), quamquam in secundo versiculo; in antistropha (vv. 15-18) non est. At contra vocativus reperitur in primo quoque versu stropharum et antistropharum, quae sunt extra carmen amoebaeum. Postremo versus 15-18 sunt versibus 11-14 manifesto oppositi. Hanc stropham in duas strophas tribuamus: quorsum "Nos alio, mentes alio divisimus aures „? Oppositio igitur est tale vinculum, ut prior pars strophae et posterior inter se sint artissime coniunctae.

altera v.59-66 nihil habent quocum congruant. Itaque eosdem conclusum est congruere inter se. Atque ita omnium stropharum congruentiam necessariam iudicant, ut ii sint qui, cum non putent versus 59-66 et versus 11-19 inter se respondere, alias exquirant congruentias : velut Muellerus, qui suspicatur post v. 31 novem excidisse versiculos « quibus puellae responderent eis, quae cecinerant iuvenes v. 11 sqq., nec non octo alios pariter a puellis et iuvenibus cantatos, qui concordarent illis, quos similiter ab utrisque relatos in ultimo legimus carmine » : velut Baehrensius qui, existimans versus 11-19 (= 4 + 4 i) cum versibus 1-10 (= 4 + i, 4 + i) concinere, statuit ideo versus 59 - 66 nullis versibus respondere, quod strophae qua iuvenes novam nuptam hortantur ut benignam se docilemque coniugi praestet, eiusmodi antistropha, quae quidem desideretur, responderit, qua puellae coniugem hortarentur ut mitem se praeberet novae nuptae. Sed cur versus 11-19 et 59-66 inter se congruant maxime miror. Primum toto carmine strophis quas puellae canunt, antistrophae respondent quas canunt iuvenes, ut strophae quam iuvenes canunt, antistropha respondet quam canunt puellae. Hic autem iuvenes responderent iuvenibus. Deinde quae dicuntur in antistrophis, ex iis perspicuum est pendere quae dicta sunt in strophis, atque illa saepe usque eo pendent, ut sententiis sententiae versibus versus verbis verba concinant. Hic vero inter sententias versiculorum 11-18 et 59-65 nihil est coniunctum. Cuius quidem rei aperta et manifesta est causa. Iuvenes in versibus 11-19 ad decertandum se parant: in versibus 59-65 puellis victis victoria utuntur. Quamobrem versiculi 11-19 et 59 66 non sunt inter se conexi; nisi quod quaedam est inter eosdem similitudo. Quemadmodum post stropham et antistropham, quae inter se respondent, collocati sunt

novem versus, quibus respondet nihil, sic tribus strophis tribusque antistrophis item inter se respondentibus octo adiecti sunt versus, quibus nihil respondet. Atque illi novem versus aeque atque hi octo ad nullam carminis concinnitatem scripti sunt, sed, ut puto, quod essent necessarii. Detrahantur versiculi 11-18: iam non docebimur, iuvenes esse cum puellis pugnaturos: demamus versiculos 59-65: qui vicerint, qui victi sint plane ignoramus. Quod iuvenes versus 59-66 dicunt, iuvenes versus 11-19, hoc etiam fit necessitate rerum, non poetae voluntate, quandoquidem et victoriam hi adepti sunt, et, cum iidem, ut decuit, ante puellas consurrexissent, puellae post antistropham loqui non poterant.

Si igitur versus 11-19 et 59-66 non sunt inter se coniuncti, illud effici debet, non esse causam cur existimemus in epilogo aliquid perisse. Sed tamen, si quid desiderari credere volumus, ut intellegamus, quomodo legendus sit versiculus 59, ad quem iam venio, satis mihi erit statuere ante hunc (nam si varias doctorum opiniones spectamus, aliquid excidit aut ante ipsum v. 59 aut ante v. 60 aut ante v. 62) nihil prorsus deesse. Quod aperte declarat, ut ego sentio, illud « virgo », quod est postremum versiculi 59 verbum. Toto enim carmine, si quo vocativo aut iuvenes aut puellae aut Hesperus appellantur, is in eo est versu a quo initium capit oratio. Atque ob eam etiam rem in primo strophae versiculo illud « virgo » esse oportet, quod iuvenes, qui subito ad novam nuptam se convertunt, antea ad puellarum criminationes et querellas responderunt. Si inter vv. 58^b et 59 alium interiectum fuisse versum ponimus, non statim scimus iam id agere iuvenes ut in eam opinionem adducant novam nuptam, ut putet neque cum coniuge neque cum parentibus sibi esse pugnandum: nisi forte dicimus, quod nihil est causae cur

dicamus, etiam in versu, quem nonnulli amissum arbitrantur, fuisse « virgo » (1). Quoniam igitur versus 59 est primus strophae, illud « et tua », quod habet T ac defendit Weberus, qui « est » legit pro « et » ac « tua » coniunctum fuisse credit cum aliquo nomine ad eum versum, quem perisse iudicat, pertinente, falsum quidem est. Verum igitur « et tu », quod fuit in V, putabimus. Cur autem editores, paucis exceptis (Heys. Ries. Ell.), post Lachmannum « At tu », quod tamen iam est in Ald. I, apud A. Guarinum Muretum Statium Scaligerum, non « Et tu » scribant, non perspicio. « At tu » certe non est improbandum, quia iuvenes novam nuptam cohortantur ut id faciat, quod iis contrarium sit quae et dixerint et sentiant puellae. Sed « Et tu » magis debet probari, siquidem ea iuvenes dicunt novae nuptae, quae cum iis quae ipsi cecinerunt congruant maxime. Quod si codices habent non « ne », ut legere oportet, sed « nec », quod retinent Vossius et, traiecto pronomine (At nec tu), Postgatius, illud animadverto, in codicibus pro « ne » ipsum « nec » esse non raro (cf. LXVIII 43 « nec fugiens », ubi tamen G « ne » habet, 103 « Nec Paris », XCIX 9 « Nec quicquam »).

63 **Tertia pars patri data, pars data tertia matri.**

Hic versus, quem laudavit Statius et habent Doeringius ac Silligius et recepit Lachmannus, reperitur quidem in plerisque codicibus, sed est aliqua ex parte

(1) **Pleitnerus hunc facit versiculum : " Non iuvat, aequales, frustra contendere contra ", in versiculo autem, qui sequitur, sic mutat: " Tu quoque ". Non censet igitur in versu, quem perisse credit, " virgo " restitui oportere, sed nemini, quantum scio, " Tu quoque " pro " Et tu " probavit.**

corruptus. T autem et O non omnia habent hic verba, nec eodem modo disposita. Videamus igitur doctorum hominum coniecturas.

Avantius, cui his temporibus obsecuti sunt Froelichius Schmidtius Iacobyus, legendum putavit: «Tertia pars patri, pars est data tertia matri», Muretus, quem probaverunt Vossius et Riesius: «T. p. patris est, p. e. d. t. m.», Weberus: «T. patris pars, pars e. d. t. m.», Hauptius, cui adsensi sunt quamplurimi: «T. pars patrist, p. e. d. t. m.». Ideo distant a vero ea quae coniecerunt Muretus et Weberus, quod si recte dicitur, quamquam id negat Schoellius (Jahrbb. 1880), tertiam virginitatis partem datam esse matri, tertiam patri, cum tamen intellegi debeat et patrem et matrem suam habere partem ex iure naturae, non recte dicitur tertiam partem patris esse, matri vero esse datam. Nam facile cogitamus, quod non licet cogitare, tertia uti virginitatis parte iure suo patrem, nullo iure sed nescio qua concessione (cf. tamen v. 66 «sua iura») matrem. Quomodo autem illud Martialis XIV 174, 2 *Pars est una patris, cetera matris habet* ad Mureti sententiam confirmandam adferri possit (cf. Owen. Cl. Rev. 1890), non video. Hauptii coniecturam reiciendam censeo non ob eam causam solum, quam adfert Schmidtius, quod «verbum substantivum in priore versus parte incommodum sit», verum etiam quia hoc verbum in codicibus non invenitur: eius enim nullum exstat impressum vestigium in T «patris» pro «patre» (v. s. p. 32) habente. Restat Avantii emendatio quam approbo omnino. Nam neque audiendus est Pleitnerus, qui ad asperum sonorum concursum vitandum (höchst misfällige Kakophonie), in priore versiculi parte «matri», in posteriore «patri» legi iubet, neque Baehrensius qui, quo melius emineat oppositio, pro «Tertia pars patri» «Patri tertia pars» scribit. Atque ex Avantii emendatione

apparet quae fuerit in T et in O origo vitii. Quoniam liber ille habet: « Tertia patris pars . ē . data tertia matri », hic: « Tercia pars patri ē data tercia matri », perspicuum est in utroque « pars » deesse, in altero post patris nomen, in altero ante. Credibile autem est ob eam fere causam, quam excogitavit Baehrensius, deesse, quia cum in codice omnium antiquissimo « patri », quod per neglegentiam librarius omisisset, scriptum esset supra versum, pro « pars » in versum receptum sit. Verum tamen cur in T prius « pars », in O posterius perierit, facilius intellegimus, si « patri » non sane supra versum, sed in codicis margine fuisse fingimus. Nam si supra erat, quoniam certe emendationis causa additum esse putatum est, quaerendum videtur, quid fuerit cur in O et in T non reciperetur in eundem locum; quod ponamus e margine in versiculum, ut ita dicam, esse traiectum: suspicari licet eum qui T descripsit alterum « pars » cum altero commutasse.

LXIII 8 Niveis citata cepit manibus leve typanum
Typanum tuom, Cybebe, tua, mater, initia.

Sic omnes fere post Lachmannum (cf. ad. Lucr. p. 241). Sed quid attinet addere, cum facta sit mentio tympani, tympanum quidem esse Cybeles? Si Catullus intellegi voluisset idem in huius deae sacris adhiberi, satis erat, credo, illud « tua, m., initia ». Quamobrem cum esse reperiant (ut verbis utar Doeringii, qui « tubam » — hoc enim, non « tuom » habent codices — « ab homine indocto et male sedulo » inventum existimat) « non sublimiori tantum, sed quocumque alio poeta indignum » illud monere, « typanum tubae vices in sacris Cybeles subisse », id Catullo tribuunt, quod est, ut mihi videtur, molestissimum. Itaque « tubam Cybelles » (codd. « Cybeles », sed iam Statius « Cybelles »), quod retinent Heysius et Rossbachius et Ellisius et, quamquam

pro «tu, mater» («tu» enim est in codicibus) legit «furiantis», Baehrensius, («typanum ac typum» Munr.), non est reiciendum.

19 simul ite, sequimini
Phrygiam ad domum Cybebes, Phrygia ad nemora deae,
Ubi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant.

Non dubito concedere «cymbalum» esse genetivum numeri pluralis, etsi Muellerus statuit (Qu. Enn. p. 193) post Ennium sic non imminui nisi nomina masculini generis cum primae tum secundae declinationis. Si tamen omnino negandum est «cymbalum» esse genetivum, quoniam nec «vox sonat cymbalum» et illud Vergilii «vox hominem sonat» inter se comparare licet, nec «nox sonat cymbalum» (Stat. Ell.) ferri ullo modo potest, praeterea «cymbali insonat vox», quod coniecit Baehrensius (iam Gifanius apud Vossium «cymbalo insonat vox»), minime probo, «mox» pro «vox» legendum arbitror. «Mox ubi» (= statim ut), ut alios scriptores praetermittam, etiam in Horatii carminibus reperitur: cf. II 1,10 ss. *mox ubi publicas Res ordinaris, grande munus Cecropio repetes cothurno, III 27,69 ss. Mox, ubi lusit satis: Abstineto, Dixit, irarum.* Praesenti tempore («reboant») utitur Catullus quod, cum cymbalorum sonus incepit, mugitus non cessant tympanorum. «Cymbalum» est numero singulari, ut in versiculo 29 «tympanum». Quod ad priorem cum posteriore versus parte iungendam adhibitum est «ubi», cum haec particula reperiatur in initio et huius et aliorum versuum qui sequuntur, hoc a Latinarum aurium consuetudine omnino non discrepat. Sententia vero nihil habet reprehensionis. Quoniam in Cybeles sacris, pompae signum dabatur tympanis (cf. v. 9 et v. 29, ubi ante de tympano, post de cymbalis fit mentio), et nulla

fere interposita mora cymbalorum eliciebantur soni, recte quidem Attis dicit tum haec resonare consuesse, cum illa reboare coepissent. Qui fortasse idcirco dicit sonare cymbala ut primum reboarint tympana, quod, cum tympanum esset Cybeles tuba, ex se intellegebatur necesse esse ante omnia tympanorum sonos Gallarum aures complere. Nec est praetereundum, in versiculo 21, si « mox » reponamus, non duas esse sententias, sed unam, quemadmodum una est in v. 22, una in v. 23, una in v. 24.

62 Quod enim genus figurae est, ego non quid abierim?
Ego mulier, ego adolescens, ego ephebus, ego puer,
Ego guminasi fui flos, ego eram decus olei.

Pro « abierim » (« Quod enim genus figurae est, in quod non ego abierim?» Ahlwardtus, der Attis de Catull. 1808) alii post Scaligerum « habuerim » scribunt (Vulp. Doer. Lachm. Haupt. Rossb. Muell. Vahl. Postg.), alii post Statium « obierim » (Sill. Ries. Schm. Ellis.), Vossius « adierim », Baehrensius autem, qui pro « non » « enim in » substituit, et « quid » retinet (ceteri omnes « quod » restituunt), «abii heri» adfert. Pro « mulier » volunt « puber » (Scal. Doer. Muell. praef. p. XXVII, Pleitn. S. p. 39), « puer et » (Froel., qui in extremo versiculo non « puer », sed « vir » legit), « iuvenis » (Rossberg. [Jahrbb. 1876.] Ries.), « enim vir » (Postg.), « miles » (Palm., Cl. Rev. 1890). Mihi « obierim » et « mulier » probantur. Sed qui «mulier » retinent, ii non omnes eandem sequuntur interpretandi viam. Sunt enim qui etiam cum hoc nomine « fui » iungant, qui ante hoc idem nomen et post distinctionis notam ponant, sic intellegentes: « ego, quae sum mulier ». Perspicuum est eos a ratione non discedere, qui mulieris nomen adulescentis ephebi pueri nomi-

nibus oppositum esse arbitrentur. Nam quî fieri potest ut Attis dicat se mulierem fuisse, cum sit mulier? Ego tamen « mulier » non idem esse credo ac « quae mulier sum ». Attin, cuius animus perturbatus est et incitatus, incitata ac vehemens oratio maxime decet. Accedit quod si « fui » (v. 64) etiam ad illos nominativos, qui sunt in versiculo 63 (adolescens, ephebus, puer), pertinet, contra galliambici naturam ea membra separantur (Ego guminasi fui flos — ego eram decus olei) quae inter se apte cohaereant. Quod non iniuria iam obiectum est Wilamowitzio, punctum ante alterum « ego » ponenti (Herm. XIV). Itaque hos versiculos sic scribendos existimo:

Quod enim genus figurae est, ego non quod obierim?
Ego mulier? Ego adolescens, ego ephebus, ego puer!
Ego guminasi fui flos, ego eram decus olei,
Mihi ianuae frequentes etqs.

74 Roseis ut hinc labellis sonitus adiit
Geminas deorum ad aures

Legendumne sit « adiit », quod fuit in V, an « abiit », ut multi arbitrati sunt, in medio relinquo. Pro « hinc » autem, quod habent omnes fere libri et laudat Rossbachius (praef. p. XIII), « hic » (Mur. Bentl. Froel. Schw. Baehr. Postg.) non « huic » (A. Guar. Stat. Scal. Vulp. Doer. Sill. Lachm. Haupt. Heys. Muell. Vahl. Ries. Schm. Ell.) legi oportere iudico. Videamus igitur quomodo versiculi 74 lacuna debeat expleri. Si « sonus » pro « sonitus » scribere liceret, « sonitus editus », quod attulit Froelichius et receperunt Rossbachius Schwabius Postgatius (« sonus excitus » Munro), vehementer probarem. Sed male « sonitus » repudiatur, quandoquidem Attis inania verba effudit (cf. Cic. de Or. I 12

verborum sonitus inanis) non sine clamoribus (cf. Plaut. Trin. 1176 *Quís homo tam tumúltuoso sónitu me excivít foras?).* Itaque ad eas coniecturas transeo, quibus hoc verbum retinetur. Omitto « palam » (Mur. Voss.) « palans » (Scal. Vulp. Doer.) « propalam » (Sillig.), quae supervacanea sunt et incommoda; sed, quid intuentes, statuemus, verumne sit an falsum « vagus », quod invenit Ahlwardtus, « citus », quod et coniecit Bentleius et sumpserunt Bergkius Pleitnerus (S. p. 39) Riesius Ellisius Schmidtius alii? Quid spectantes, probabimus, aut etiam improbabimus, « celer », quod excogitavit Lachmannus, si et incredibile est ob eam causam in extremo versiculo 14 esse « celere », quod eo ex hoc loco « celer » migraverit, et, ne metrum violetur, non « abiit celer », ut putant Lachmannus Hauptius Vahlenus, sed, sicut placet Heysio Muellero aliis, « celer abiit » scribendum est? Quamobrem ad Catulli consuetudinem dicendi nos conferre debemus. Qui cum aliquem induxit loquentem, iisdem verbis, quibus ad hoc sibi viam aperuerat, aut, cum id facere non potest, idem significantibus, ad aliam transit poematis partem. Hoc in carmine LXIV ut in omnium longissimo maxime cernimus, hoc in ipso carmine LXIII (cf. v. 10 CANERE HAEC *suis adorta est tremebunda* COMITIBUS et v. 27 *simul* HAEC COMITIBUS *Attis* CECINIT *notha mulier*, v. 76-77 *Ibi iuncta* IUGA RESOLVENS *Cybele leonibus... ita* LOQUITUR et v. 84 AIT *haec minax Cybebe* RELIGATQUE IUGA *manu).* Atqui Catullus, antequam Attin induceret loquentem, narravit eum vel dicam eam « maestam » et « miseriter » locutam esse. Sequitur ut admodum veri simile sit hoc loco eundem eius orationem aut maestam aut miseram appellasse. Sed « sonitus maestus adiit » vel « abiit » abhorret a metro. Ita fit ut « sonitus miser adiit » vel « abiit » censeam restituendum. Quae verborum coniunctio hoc etiam commen-

datur, quod cum eiulatus et gemitus tum querellae et fletus miseri aliquando dicuntur : cf. Cic. Har. resp. 39 *non sunt illi eiulatus et gemitus Philoctetae tam miseri,* Phil. II 3, 6 *in illa querella misera quidem et luctuosa,* Tib. I 4, 72 *miseris fletibus illa favet,* Ov. Fast. IV 481 *miseris loca cuncta querellis Implet* Met. II 342 *Non auditurum miseras Phaëtonta querellas.*

Quaerendum nunc est quid de geminarum deorum aurium mentione sit existimandum. Pro « geminas » coniecerunt « matris »(Ahlwardt.) «et matrem» (Baehr.); pro « deorum » ut hoc ipsum « matris » (Lachm. ad Lucr. p. 57), quod probaverunt Hauptius Vahlenus Schwabius, sic « deae tam » (Munr.), « deae iam » (Web. p. 154), « deae tum » (Ries.); pro « deorum ad » « cito ad deae » (Pleitn.); pro « aures » « fores » (Froel.). Fuerunt etiam qui hunc versiculum tamquam adulterinum delere opus esse arbitrarentur (Mur. Werthesius, über den Athys, 1774). Mentionem de una Cybele fieri oportere pro certo habere non possum. Quae quidem Attidis sibi repugnantis et resistentis audaciam contundit; sed primum hanc se non Cybeles famulam modo, verum etiam deorum ministram (v. 68) appellare iam Statius animadvertit. Deinde etsi Attidi, ad huius temeritatem coercendam reprimendamque, saevitia adhibita est a Cybele, nihil obstabat quominus lugentis ac gementis querellae ad omnium deorum aures pervenirent. Nam ob eam causam, ut puto, fingit Catullus non Cybelem modo, quae in Ida habitaret, sed omnes deos, qui ab ea longe essent, Attidis voces et gemitus audisse, ut horum sonitum et acerbitatem quodammodo exaggeret. Sed non sententiam solum, verum etiam orationem viri docti reprehenderunt. Etenim « geminas aures » si recte dicimus, cum de uno vel deo vel homine sermo est, nusquam alibi, cum de pluribus sermo esset, dictum esse aut vidimus aut accepimus. Nullum tamen libra-

riorum mendum hic esse suspicor. Si Catullus dixisset Attidis querellas ad geminas uniuscuiusque deorum aures pervenisse, nihil sane esset, quod improbaremus. Hoc autem, quamquam non dixit, ut illud « geminas » satis declarat, profecto cogitavit. Quamobrem Catullus deos una et singulos (geminas) et universos (deorum) animo complexus est.

78 " Agedum „ inquit " age ferox fac ut hunc furor.

Ad verba, quae desiderantur, restituenda, recentiores fere omnes scribunt cum « ferox i » (imperativum addidit Scaliger) tum in extremo versiculo « agitet », quod is invenit, qui anno MDCCII Catulli carmina foras dedit Cantabrigii. Verum tamen, cum non appareat quomodo furor Attidis concitandus sit, non perspicitur cur leo debeat Attin ad furorem perducere. Quod non melius dispicimus, si « ferox, exi, face ut icat hunc furor », quod protulit Froelichius, vel « ferox i, fac ut i. h. f. », ut scribendum putavit Pohlius (Sp. I p. 53), legimus. Baehrensio quidem « ferox, fac percellat hunc pavor » adferenti, idem obici non potest; propterea quod facile est intellectu, quemadmodum futurum sit ut leo Attidis mentem metu terreat: sed et Baehrensius qui, ut sibi constet, etiam in versiculo 79 pro « furoris » ponit « pavoris », temere immutat codicum verba, et incredibile est Cybelem, iracundia inflammatam, exsultantis Attidis audaciam metu tantummodo frangere voluisse. Atque illud addo, Froelichium Pohlium Baehrensium nec uno loco, nec quo loco vocabula facilius vel corrumpuntur vel pereunt, versiculi vitium collocasse. Propius ad verum, si sententiam spectamus, accessit memoria nostra Fischius (Wochenschr. f. K. Phil. 1884), qui

Catullum sic scripsisse coniecit: « Agedum, inquit, age ferox, i, face ut huc fuga, celeri i » et multo propius olim Avantius, cuius hic est versus: « A. i. a. f., hunc agedum aggredere, ferox ». Sed tamen hic etiam, si id invenire volumus quod scripsit Catullus, eius consuetudinem intueri debemus (v. s. p. 274). Quoniam igitur leo, ut Attin videt, in eam « impetum facit » (v. 89), consentaneum est putare eundem, ut in illam impetum faceret, a Cybele esse impulsum. Quod nemini dubium erit, qui hunc locum cum iis Plauti versibus comparaverit (Men. 866-869), qui allati sunt ab Ellisio: *Ágite equi facitóte sonitus úngularum appáreat: Cúrsu celeri fácite inflexa sít pedum perníciitas... Écce Apollo dénuo Mé iubes facere ínpetum in eum, qui hic stat, atque occídere.* Nam etiam apud Plautum « facere impetum » reperitur. Ita et Catullianus locus Plauti versibus maxime illustratur et ex Catulliano loco sic illustrato apparet verissimum esse quod Ellisius, qui nequaquam vidit leonem a Cybele ad impetum in Attin faciendum impelli, suspicatus est (1), Catullum hic aliqua ex parte Plauti vestigia esse secutum. Quibus diligenter expensis versiculum, de quo disputo, sic restituo:

Agedum inquit, age, ferox, fac, fac in hunc, fere, impetum.

Multo facilius accidere potuisse ut « fac », insequente

(1) " Apud Plautum in Menaeh. eodem prope modo equos Apollinis adloquitur Menaehmus, usus pari numerorum celeritate „ Sic Statius, qui ante Ellisium duos Plauti versus (113-114) attulit. Tantum autem afuit ut is id perspiceret, quod non perspexit Ellisius, ut et Plauti versus 115-116 omiserit et haec de Catulliano versiculo scripserit: " Cum non syllabae tantum, sed voces integrae ipsae ac pedes desiderentur, ea sum religione, ut audendum aliquid non putem „.

altero « fac », quam insequente « i » periret (etiam Schwabius, etsi sic legit versiculum ut vulgo legunt, opinatus est Catullum « fac fac » scripsisse), satis intellegitur. Ex « ut » particula sine labore « in » elici supervacaneum est demonstrare. Cur autem in libris « furor » sit pro « fere » mihi perspicere videor: « fere » non poterat, et ob idem vitium, quo postremum versiculi verbum interiit, commode legi, itaque emendatum est ex insequentis versiculi sententia (cf. c. LXIV 23, ubi *mater* pro *matrum* librarius quidam ad suum arbitrium scripsit, quod ante hunc genetivum esset « bona »). Quae emendatio eo confirmatur, quod in versu 79 est non solum « furoris », verum etiam « ut » (codices enim non habent « uti »), quod in versiculo 78 pro « in » reperitur. Si vero sic correxit Catulli verbum aliquis non librarius, sed doctus homo, suspicari licet eum etiam ad versum 92 oculos coniecisse. Hic quidem Catullus illum divinum furorem significavit, quo Attis concitatus Rheae se dedidit religioni, et cum a patria ad Phrygiam mari vectus pervenisset, in nemore eiusdem Rheae sacro suum corpus eviravit (cf. v. 4 « Stimulatus ibi *furenti* rabie). Nam omnis Attidis calamitas ab eo furore orta est, quo ipse primum exarsit. Sed quid mirum si quis, quoniam « Procul a me tuos sit furor omnis » ait Catullus, eum furorem designari putaverit, ad quem leo Attin perduxisset? Quoquo modo res se habet, « ferus » optime appellatur leo, non propter versum 85, ubi « ferus » vim habet substantivi, cum hoc loco « fere », quod ego restitui, sit adiectivum, sed quia saepe apud scriptores feri appellantur leones (cf. Horat. Epod. VII 11 ss. *nec fuit* (*mos*) *leonibus Umquam nisi in dispari feris*, Mart. I 18,3 *Saeva ferum rabido lacerarit dente leonem*). Quin etiam « fere » dixit Catullus, non, ut paulo ante, « ferox », metri necessitate constrictus. Quam verborum varietatem nemo vere im-

probabit. Nam, ut alios locos omittam, in hoc ipso carmine (cf. « Cybele » et « Cybebe » « Dindymenae dominae » v. 13, et « domina Dindymei » v. 91) atque etiam in hoc ipso versiculo Catullus verba (« agedum » et « age ») immutavit.

Lectiones codicum GOBMN^1 *

(*v. p. 23*).

I 2 Arido--9 quod, quidem N^1. II 7 Et—8 ut cum, *om.* cum *B* — acquiescet — 9 possem. III 16 bonum factum male bonus ille, *om.* factum N^1. IV 24 nouissime. V 13 sciat, sciet N^1. VI 7 ne quic-
al hic al ille
quam, *in B post* ne *littera erasa est*, nequid quam *O*—9 hec et illo
hec et
GM, h'(= haec) et illo *O*, hec et illo, al hic *B*, illic et ille (?) N^1 —12 Nam ni ista prevalet, Nam inista pualet *O*, Nam in ista prevalet N^1. VIII 19 destinatus, obstinatus N^1. IX 1 e meis, *om.* e *O*, ÷ meis N^1 — 2 Antistas, Antistes N^1 — 4 sanamque *O B*, suaq;
al sana al sana
matrem *G*, suamq; *M*, suamque N^1. X 9 neque nec in ipsis,
al neq; ipis
al neq; ipis n *G*¹ al nihil neq; nec i ipis
neq; in ipis *g*, neq; i ipsis *M*, neque ipsis N^1 — 26 commoda nam, comoda nam *O*, comoda nam *B*—27 inquit, inquid *O* — 32 pararim—33 tu insula, tulsa *O*. XI 5 arabesque, arabaesque *G*, arabas ue *O* — 7 Siue que, siueq; *O*, siueq *M*, siue qui *B* — 11-12 horribilesque—Ultimosque, horribilesque—Vitimosque *O*, horribilesq; ulti—Mosq; *g*, horribiles ulti—mosq; *M*, horribiles uultu — Mosque N^1. XII 9 Disertus, Dissertus *O*. XIV 19 Suffenam. XV 2

* Codices, cum inter se concinunt, non indicantur. Ea, quae in B et in N^1 posteriores manus addiderunt aut immutarunt, neglecta sunt.

pudentem, pudentē *O* — 11 ut iubet, ut al iubet *O*, ut iubet ***in marg.*** ***M***, *om.* *BN*[1]. XVII 25 Ut puella. XXI 6 Herens, 11 Me me. XXII 5 palmisepto, palmiseto *B N*[1]—6 Relata — 7 membrane — 13 hac re tristius, ac retristi' *O*, hoc est tristius *N*[1]. XXIII 10 facta — 27 satis beatus. XXIV 7 qui, quid *O*, *om. vv.* 3-10 *B*, quia *N*[1], ***qui vv. 3-10 habet post ultimum carminis LXII versum.*** XXV 5 Cum

al aues ul aries *g* al aues ul
(Quom *N*[1]) diua—mulier alios *G*, ml' .r· aries *O*, mulier aries

alios i *g*
M, mulier aues *B*, mulier *N*[1]—ostendet os. citantes *G*, ōndet ossistantes *O*, ostendit oscitātes, ostendit ostitantes *B*. XXVII 4 ebriose acino, ebriose auino *N*[1]. XXIX 8 aut ydoneus, aut idoneus *BM N*[1]— 20 Hunc Gallie timet, Hunc galle timet *N*[1] — Britannie, brittanie *O* —23 opulentissime, oppulētissiē *O*. XXX 4 Nec — 5 que. XXXI 13 uos quoq; lidie, uos quoq; lydie *G*, uos quos lidie. *N*[1]. XXXII

al uriosq; *g*
4 adiuuato. XXXVI 10 iocose lepide — 12 uriosq;, utriosq; *G*, uirosq; *N*[1]. XXXVII 10 sopionibus, scipionibus *B N*[1] — 11 nam me, nanq; me q; *N*[1]. XXXVIII 2 Male sime hercule, male est si me hercule *BM N*[1], 6 sic meos amores. XXXIX 9 monendum

us es
est mih (ch *G*) i, monendu est *B*, monendum est mi *N*[1] — 11 aut parcus in; *in* *N*[1] c u *litterae prioris m. legi non possunt.* XXXXI 7 nec rogare, nec rogate *N*[1] — 8 et y (i *BMN*[1]) maginosum. XXXXII 14 potes, potest *BN*[1] — 22 nobis. XXXXIV 21 legit, leḡ. *O*. XXXXV 8 sinistra. ut ante—9 Dextra, dext‾ *O*, Dextram *M* — approbatione, approbationem *M* — 17 sinistrauit ante, sinistra ut ante *B*, *vv.* 10-18 *om.* N[1] — 18 Dextram — approbationem, approbacionē *O*. XXXXVI 11 Diuerse uarie. XXXXVII 2 mundi, mūdi *M*, mondi *B*. L 2 meis tabellis. LI 11 gemina teguntur. LIV 1 oppido, o. pido *G*, opido *M*, apido O — est — 2 Et eri, Et heri *g M*, Et beri *B*, Et ueri *N*[1]—rustice. LV 4 libellis—8 uidi tamen serena, molli tamen serena *N*[1] — 9 A uelte, Auelite *B*, A uelle *N*[1] — sic ipse — 11 nudum reduc — 14 te in fastu — 17 Nunc,

al no *g*
Non *N*[1],—22 uestri *GM*, ūri O, nostri *B N*[1]—sis—26 (= LVIIIb 4) Non rhesi (resi *N*[1]) niuee, Non thesi uinee *O*, Non rhesi vinee ***M***, Non

resi niueę *B* — citeq; bige, cithe que *N*¹ — 29 (=LVIIIᵇ 7) iuctos, *G* uictos *O*, uīctos *M*, uinctos *B*, iunctos *N*¹. LVI 7 pro telo, protelo *O*. LVII 7 lectulo, lecticulo *O*, lecto *N*¹. LIX 1 rufa rufum. LXI 4 o hymenee, o hymene *N*¹, o hymenee hymen *G* — 5 Hymen o hymenee hymen, Hymen o hymene hymen *N*¹, O hymenee hymen *G* — 25 Nutriunt humore — 46 magis amatis — 68 uicier, uities *O*, ualet *N*¹ — 79 tardet — 80 Quem — 106 Lentaq;, Lenta s; *O* — 124 Io hy (i *O*) men hy (i *O*) menee io -- 125 Io hymen hymenee io, *om.* O — 129 audiens — 133 lubet — 158 sine servit, *vv.* 156-160 *om. B* — 171 unus, imus *N*¹ — 177 uritur, urintur *B*, urimur *M N*¹ al. urimur *g. in marg.* — 186 senibus unis, senibus unus *B* — 187 berue, breue *B*, benie *N*¹ — 204 cupis cupis, cupis capis *BMN*¹ *g* — 222 insciens — 223 ab omnibus. LXII 6 consurgite contra — 9 quo uisere parēt, quo uisere parent *B*, quo uisere parerit *N*¹ — 22 complexu — 32 equales *O*, equaleş (m) *G* (g), equalē *B*, equalem *N*¹ — abstulit — 35 eosdem, eodem *N*¹ — 53 coluere, co. luere *G*, colluere *N*¹, accoluere *B* — iuuenci — 54 marito — 55 accoluere, *vv.* 54-55 *om. N*¹ — iuuenci — 56 inculta — 59 Et tu nec — 63 Tert (c*G*) ia pars patri data pars data tert (c *G*) ia matri, Tertia pars patri ē data terciȧ matri *O*. LXIII 9 tubam — cibeles, cẏbeles *M*, Cibeles *B* — 21 uox — 62 quid abierim, quid abieri; *B* — 74 hinc labellis — sonitus adiit, sonitus adijt *N*¹, sonitus abijt *B* — 75 geminas deorum — 78 age feróx fac ut hunc furor, age ferox ut hunc furor *BN*¹.

INDEX

c.	XXXXII	v.	10 - 24	p. 168
„	XXXXIV	„	21	„ 171
„	XXXXV	„	8 - 9	„ 172
„	XXXXVI	„	11	„ 177
„	XXXXVII	„	2	„ 178
„	L	„	2	„ 180
„	LI	„	11 - 12	„ „
„	„	„	13 - 16	„ 182
„	LIV	„	1 - 7	„ 186
„	LV	„	4	„ 199
„	„	„	6 - 7	„ 190
„	„	„	8	„ 191
„	„	„	9	„ 193
„	„	„	11	„ 196
„	„	„	12	„ 194
„	„	„	14	„ 201
„	„	„	17 - 19	„ 202
„	„	„	21 - 22	„ 204
„	LVIII[b]	„	1 - 10	„ 206
„	LVI	„	7	„ 216
„	LVII	„	6 - 7	„ 217
„	LIX	„	1	„ 219
„	LXI	„	4 - 5	„ 220
„	„	„	31 - 33	„ 221
„	„	„	46 - 47	„ 222
„	„	„	68	„ 224
„	„	„	78 - 80	„ 226
„	„	„	106	„ 228
„	„	„	124 - 125	„ „
„	„	„	129	„ 229
„	„	„	133 - 134	„ 230
„	„	„	158	„ 231

CORRIGENDA.

Pag. 14 *vers.* 8 *legendum* non *ante alterum* sunt — *p.* 29 *v.* 22 *post* consueverunt *leg.* (cf. Munr. Lucr. Vol. I p. 33) — *p.* 32 *v.* 24-25 *leg.* Postremo " dolor est „ — *p.* 35 *v.* 34 *leg.* num *ante* bene — *p.* 45 *v.* 35 *leg.* p. 15 — *p.* 82 *v.* 32 *leg.* omnes fere *ante* intellexerint — *p.* 98 *v.* 31 *leg.* respondet — *p.* 126 *v.* 15 *post* animadverterunt *leg.* Riesius Baehrensius alii — *p.* 140 *v.* 1 *leg.* interiecta sententia — *p.* 210 *v.* 3 *leg.* *Non* — *p.* 216 *v.* 23 *leg.* rectene — *p.* 242 *v.* 7 *leg.* aut syllaba anceps aut — *p.* 255 *v.* 22 *leg.* perspicimus — *p.* 277 *v.* 2 *leg.* celer — *p.* 278 *v.* *11* *leg.* esset " bona „ — *p.* 282 *v.* 31 *leg.* ūri — *p.* 283 *v.* 14 *leg.* parēt.

Praeter haec sunt alia emendanda, quae quomodo emendari debeant, supervacaneum est dicere.

WIDENER
SEP 1 0 2005
BOOK DUE